

DISSERTATIO HISTORICA
De
NUMIS ET SIGILLIS
LVNDENSIBUS

Quam
Sub Vmbone Numinis O. M.

EX
Consensu Amplissimi Ordinis Philosophici
In Alma Gothorum Carolina

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo atq; Celeberrimo

Dno KILIAN STOBÆO.

*M. D. Arch. Reg. Hist. P. P. & Ord. Facult. Phil. b. a.
Decano atque Reg. Societ. Scient. & Litter.
Ups. Memb.*

Pro solitis in Philosophia honoribus Publicæ bono-
rum censuræ modeste
submittit.

ZACHARIAS AARON KIHLGREN

Scannus.

In Auditorio Majori horis ante meridiem solitis
die VII. Maji Anni MDCCXLI.

~~~~~  
TYPIS LUDOVICI DECREAUX, Directoris Officinæ  
Typographicæ LONDINI GOTHORUM.

**S. R. M.**

**REGNIQUE SVETHLÆ SUMMÆ FIDEI VIRO  
SENATORI EXCELLENTISSIMO,**

**Regiæ Societatis Litterariæ & Scientiarum  
Upsaliensis PRÆSIDI Illustrissimo,**

**CELSISSIMO**

**COMITI ac DOMINO,**

**Dno GUSTAVO BONDE.**

**COMITI de Björnö, L. BARONI de Hesselby, DOMINO  
de Bordsjö, Cathrineholm, Hesteryd, &c. &c.**

**MÆCENATI GRATIOSISSIMO.**

**P**ROperat trepida ad Limina TUA, .CELSISSIMÆ  
COMES, levis hæc Opella, præter nonnullas  
Antiquitatis reliquias, pusillum vel nihil politioris æ-  
vi & ornamenti adferens, quod EXCELLEN-  
TISSIMO TANTI MÆCENATIS NOMINI conse-  
crari mereatur. Verum enim vero, ipso hoc ve-  
rusto

rusto cultu, TE maxime, CELSISSIME COMES,  
 adire gestit, quem iudicio accuratissimo sibi PRÆ-  
 SIDEM ILLUSTREM experit. & tanquam Sapi-  
 entissimum sui Moderatorem venerabunda colit  
*Regia Societas Litteraria & Scientiarum Upsaliensis.* Cum-  
 que res antiquæ non minimam particulam Obser-  
 vationum Inclutæ hujus Societatis absolvant: ju-  
 dicet facile quivis, me maxima ratione, NOMINE  
 TUO EXCELLENTISSIMO Lundam meam ex Nu-  
 mis & Sigillis illustratam insignivisse. Neque enim  
 nitore commentariorum confidens, aut suis vetustis  
 rebus, quas, ut omnis antiquitatis callentissimus, im-  
 pense amas, TUAM, CELSISSIME COMES, TUTE-  
 LAM prenfare aut elicere conatur opella mea. Sed  
 decenti cultu & vigore maturo destitutum TUO Pa-  
 trocinio seu Ægide muniri anxie desiderat juvenile &  
 languidum conamen. Quod si devotissimæ TIBI  
 Musæ clementer concesseris, excusso timore tuta &  
 læta in publicum prodit. Rex ille Sveno Magnus,  
 quem ut Patronum Lundæ non semel commemorat  
 pagina mea, hospitio quondam apud CAROLUM  
 BONDE unum e MAJORIBUS TVIS ILLUSTRISSI-  
 MIS benigne & tutò exceptus est. Hic iterum ad TE,  
 CELSISSIME COMES, confugit, quem, si vili hac pa-  
 pyro vestitum, clementi patrocinio digneris, me com-  
 mendantem novo & ingenti gratiæ incremento, & non  
 ita pridem summis beneficiis cumulatam, adauges.  
 Hoc Animus TUUS Heroicus & supra exemplum  
 mitis suplici TUI denegare vetat; Nec ut facinus  
 meum, ut nimis temerarium, damnes; submisissime  
 precor. Opellam hanc, ut gratissimi & devotissimi  
 ejusdem animi signum suscipias, qui pro TE TUA-

que **ILLUSTRISSIMA FAMILIA**, perpetua & ardentissima nuncupaturus sum vota. Faxit **CLEMENTISSIMUM NUMEN**, ut **TANTO COLUMNINE** innixa diu floreat **Res Politica & Litteraria SvioGothica**. Faxit rerum **STATOR MODERATORQUE DEUS**, ut **TE vivo**, ceu præsentì **JUBARE & MÆCENATE** diu collustrentur & latentur felicissimi **TUI** clientes, inter quos ultimum locum clementer quoque concedas.

**EXCELLENTISSIMI NOMINIS  
TUI**

Devotissimo servo.

**ZACHARIE A. KIHLGREN,**

*Perillustri & Generosissimo*  
**VIRO & DOMINO**  
Tribuni militum Legato  
**Domino FRIDERICO**  
**TROLLE,**  
**DOMINO** de *Naas, Ericksholm, Borreby & Klägerup,*  
*&c. &c.*  
**Patrono meo Gratioso,**

**I**ngenue fateor, **GENEROSISSIME DOMINE,**  
nunquam verba mihi aequae defuisse, quam cum TE  
publice alloqui debeam; Tot enim tantaque Tua de  
me insignia merita, propter magnitudinem & ad-  
mirationem sui, quum vel maxime iisdem recen-  
sendis & profitendis vacare deberem, eousque ob-  
stu-

stupentem reddunt, ut usum loquelæ pane præcludant. Carissimum quippe & unicum FILIUM meæ qualicunque informationi committens, non me, ut mercenarium aliquem in ILLUSTRIS DOMO TUA, sed ut omni ratione consolatum, erectum & splendida TUA munificentia exornatum habes. Ne quid hic dicam, TE, quæ TUA est sine exemplo in me gratia, futuræ quoque fortunæ meæ ita providere voluisse, ut, si plane gratia TUA vel munere publico non indignum me ipsum reddidero, exemplum optimi Benefactoris in me designare decreveris. Hæc ut maxima sunt, attonitus venerabundo silentio prætereo. Quis enim PATRONE INDULGENTISSIME TUAS GENEROSAS VIRTUTES ignorat? Genus enim a tempore Patriæ mythico deductum, longa Serie HEROUM inclarescens, non ita TUUM existimas, nisi TEMET IPSUM studio inserviendi Publico & privatis AVITARUM VIRTUTUM vivam sistas imaginem. Hanc quam accurate exprimas, Patria, quanta quanta est, testis TIBI erit. Qualem in FAMILIA ILLUSTRIS Patrem agas, omnes certe deprædicant; quis enim Civium nesciret, curam educationis apud TE cum felicitate natalium certare. Fidem facit NOBILISSIMUS TUUS FILIUS, qui domestico incitatus exemplo, nec Genitoris nec Moderatorum spem fallens, annos Virtutis & Sapientiæ tirociniis longe antevertit. Quamque sis pius, bonus, prudens, liberalis & felix, omnes boni gaudentes agnoscunt, in eo enim TE infelicissimum crederes, si me unicum LAUDUM TUARUM præconem haberes. Patriam tantummodo INDULGENTISSIME PATRONE, leve hoc Scripturæ genus ILLUSTRIS TUO NOMINE insigniri & abs

abs TE ceu, certo suo MÆCENATE, decorem mutuari. Sit pagina mea publicus meæ in TE pietatis testis. Sit Sacramenti loco, me, quoad vixero, pro omnigena TUA FAMILIÆQUE ILLUSTRISSIMÆ felicitate pia thura ad summum Numen offerre nunquam destitutum. Sit fidei meæ & reverentiæ in TE TUOSQUE certissimum signum, quæ tanquam nova religione & summa animi veneratione in perpetuum se obstringit

**PERILLUSTRIS & GENEROSISSIMI  
NOMINIS TUI**

**Cultor addictissimus  
ZACHARIAS A. KIELGREN.**

Optimæ Spēi Juveni, & Candidato Philosophiæ  
*Clarissime,*

Dno ZACHARIÆ AARONI  
KIH LGREN

Præsentis de NUMIS & SIGILLIS LUN-  
DENSIBUS Disputationis

*Auctori Dexterrimo,*

Ita ex animo gratulatur

MAGNUS RYDELIUS

Archipræp. & Th. Doct. & P. Prim.

**Q**ui studio nummos avido sectatur, avarus  
Audit, mi Kihlgren ergone avarus eris?  
Tu venaris enim nummos noctesque diesque:  
Tu nummos animo volvis & ore simul.  
Res adeo fluxas sectari desine: Namque  
Haud satiant animum: *semper avarus eget.*  
Fallor at: haud fulvas peramas quærisque monetas,  
Nec capiunt animum flava metalla Tuum.  
Sordidus his inhiæc nummos in fœnore ponens  
Institor, Oceanum qui irrequietus arat.  
Tu non æquor aras, non terram fodis, inani  
Spe lucri captus, sed meliora cupis.  
Jam meliora cupis, jam, quæ longæva vetustas  
Obruerat, nobis conspicienda ferens.  
Sunt nummi rerum, sunt testes temporis, atque  
Quæ fuerant olim, cuncta latere vetant.  
Esse putas nummos doctos fidosque Magistros,  
Ex quibus antiquas res didicisse juvat.  
Proficis egregie, dum gnavus consulis illos  
Hoc Tua de Nummis edita Scripta docent.  
Non oculos implent, non distenduntque crumenam  
Sed, quæ sis meritis, Laureaserta parant.

*In Clarissimum Dominum CANDIDATUM*  
**Auctorem & Respondentem**

**Amicum Epigramma**

**N: STOBÆI**

*El: & Poës: Prof:*

**Q**uid mihi picta Venus, levis & sine corpore prodest

Umbra, quid aut vacuo, clangor ab ære juvat?

**Q**uid simulacra juvant Manesque & spectra Monetæ,

Unde magis nihilo, casta crumena tumet?

**Q**uo mihi canities & sancti barba CANUTI?

Quid tua, LAURENTI, sacra catasta valet?

Sic contemtor ait, seclique ignarus aviti,

Quem Sol in oculis Lunaque sola beat.

Non TU *mutus* ad hæc; *Tabulam* quoque docte requiris

ZACHARIA, nummis certa dature Tuis  
NOMINA, deterso & lucem squallore Sigillis.

Sed TEMET tamen hinc, præmia quanta manent?

Scilicet illa *TUAS laudes* signantque SIGILLA

ÆRA per hæc tota est, LUNDAQUE in Ære Tuo.

)( )(

MA-

MADRIGAL  
à L'AUTEUR  
par  
J. TREUTIGER.

**D**octe Nourisson  
Du plus digne Maître,  
Que ton art est bon!  
Ceux qui déjà sont passés l'Achéron,  
Tu les fais reparoitre.  
Quoique tu sois d'Esculape élevé;  
Ce n'est pas l'Art de redonner la vie,  
Qu'il t'a voulu montrer.  
Quoi donc! par notre Cité,  
Dont la grandeur est toute enseveillie,  
Toi, moienant peu de matériaux,  
Moins nombreux, que rares & beaux,  
Mais ajustés dans un goût admirable,  
Du Phénix tu nous rends l'histoire assez croiable,  
Qu' autrement on prendroit pour une pure fable.  
Poursuis donc, fus.  
Ton génie peut à tout prétendre.  
Quand ton Maître ne sera plus,  
Sois le Phénix alors de ses cendres:  
De peur que dans l'oubli Son nom ne soit perdu.  
Non non, ce soin seroit superflu.  
Son Los & ses Ecrits sauront bien l'en défendre.

## In eundem

**Q**uem fugit, antiquo celebratam tempore Lun-  
dam  
Condecorasse vias, mœnia, templa, domos?  
Hoc docuit priscus verbis calamoque STOBÆUS;  
Qui patriæ vixit gloria rara suæ.  
Qualia sed fuerint urbis clerique Sigilla,  
Nullus adhuc scripsit Temet, amice, prior.  
Dicere, quale fuit quondam Lundense Numisma,  
Est opus insuetum ZACHARIÆque labor.  
Est opus inlustri KILIANO Præsidi dignum,  
Quodque decet juvenem gente STOBÆA satum,  
Est opus eximium, doctum, laudabile, pulcrum,  
Futilitate carens, utilitate nitens.  
Dicite Pierides: patriæ monumenta vetustæ  
Qui docet, an nobis utilis auctor erit?  
Utiliusve fiet mentes lustrare vagantes;  
Corporis aut expers quærere in orbe locum?  
Dicito Pieridum soror, O! doctissima Pallas;  
An sit KIHLGRENIUS dignus amore Tuo?  
Et TU Pieridum Præses, pulcherrime Phæbe:  
Huic propriam Daphnen cedere numne lubet?

Hos cecinit Elegos  
**JOH. CORYLANDER**  
*Fac. Phil. Adj.*

Compliment de Félicitation  
à  
MONSIEUR KIH LGREN.

**U**ne VILLE qui fut long tems la Résidence  
Des Rois, des Armées & grandes festivités,  
Qui fait presentement le séjour des Sciences  
Qui brillent en notre Nord avec grande clarté :  
Ne mérite -t- elle pas qu' on repande un peu d'encre,  
Elle, qui d'autre-fois repandoit plus de sang?  
Les Muses y ont jetté de leur vaisseau les ancres  
Et soutiendront toujours leurs graces & leurs rang,  
L'ancienne LUND a mis de l'or & des Couronnes  
Sur les têtes sacrées des Reines & des Rois :  
Par un exemple heureux la Moderne couronne  
Des Lauriers brillans comme chaqu' un le voit.  
C'est donc à VOS travaux que LUND est redévable,  
De nous paroître encor dans toute sa splendeur :  
En lui resuscitant un prix si convenable,  
VOUS en aurés aussi des souhaits de bonheur.  
VOUS VOUS faites immortel La rendant immortelle :  
VOUS vivrés avec Elle en perpétuité ;  
MONSIEUR Vous nous montrés qu' une fille aussi belle  
Merite des recherches en nos Antiquités :  
Je gage, que pour VOUS Elle ne soit pas cruelle,  
VOUS préparant enfin de la félicité.

COLLING.

*Introductionis Compendiaria*  
In  
Fundamentorum Historiæ  
Civilis,  
~~Ad~~ his PATRIÆ,  
notitiam  
SECTIO SECUNDA  
DE  
RE  
NUMISMATICA,

*Quam,*  
Consentiente Amplific. Ordine Philosophico  
in Alma Gothorum Carolina  
PRÆSES

KILIAN STOBÆUS

*M. D. Archiat. Reg. Hist. P. P. & O. Facult. Philos.  
b. a. Dec. ac Reg. Soc. Scient. & Litter. Ups. Membrum,*

RESPONDENTE

Juvene Nobilissimo

Dno. AXEL RAAB,

Publico candidorum examini subicit

In auditorio majori

Maji

MDCCXLI.

---

TYPIS LUDOVICI DECREAUX, Directoris Officinæ  
Typographicæ LONDINI GOTHORUM.

**Kongl. Maj:ts**  
**Högstbetrodde Man/**  
**Ammiral och Præsident**  
**uti Ammiralitets Collegio**  
**i Carlsrona ,**  
**Högtwålborne Herr BARON**  
**CARL HINRIC**  
**von LÖWEN.**

Så och  
Kongl. May:ts Tro Man,  
*Ammiral och Ammiralitets-Råd,*  
Wålborne Herr  
**GUSTAV GRUBBE**

Kongl. May:ts Tro Man,  
*Ammiral och Ammiralitets Råd,*  
Wålborne Herr  
**GUSTAV WILHELM**  
von **GERTEN**

Kongl. May:ts Tro Man,  
*Ammiralitets Cammar-Råd,*  
Wålborne Herr  
**LARS DAHLMAN**

Kongl. May:ts Tro Man,  
*Ammiralitets Cammar-Råd,*  
Wålborne Herr  
**NILS von LANG**

Samt  
Öfver Commissarie  
Wålborne Herr  
**BERNHARD REINHOLT**  
**HAUSWOLF.**

**Nåd**

## Nåd och Höggunstige Herrar



Manheims Folk och Giötha Män,  
I Tappre Ledungs Jarlar,  
I Särnad Snabba Karlar,  
Som ald-ig fructadt än,  
En mächtig Fiend möta,  
I blod och wärn blöta;  
Af dunder,  
Så under,  
Som öfwer alt, I låtit se,  
Sil Östan som ock Wästan swäg,  
Hur Edra Rätta Orlogs-Tog  
All trygghet gie.

Tillåten ödmjuk förordnad så  
För Edra ägon ställa  
Er Beret om Mynt, som gäfla,  
För riktigt wärde gå,  
När Chules ålder skes  
Och Kikets åhra ökes;  
Det wises  
Och prises  
I de här skrefna Gårdomsråd,  
Dem jag af Witter Man har lånt,  
At något giöra mig förtient  
Af Eder Nåd.

## Nåd och Höggunstige Herrarnas

Allerödmjukaste Tjenare  
AXEL RAAB



## Præfatio.



Omnem nostram historicam notitiam, ut certam & maxime probabilem, quatuor præcipuis inniti principiis cognoscendi, Monumentis scil. Lapidariis, Numismaticis, Diplomatis & scriptis historicis nuper ostendit Amplissimus Præses *Introd. compend. in fundamenta Historiæ Civilis inprimis Patriæ Sect. I. de Monumentis Lapidariis*, me respondente utcunque defensa; hæc ut qui in dubium vocare ausit, næ is quid certa sibi velit historica cognitio, ignorare se certe probat. Rem adeo claram non opus est multis hic disputare, nec permittit instituti ratio, demonstrandæ Numismatum antiquorum summæ in rebus historicis utilitati me diu immorari, quamvis Veritati indagandæ indubiam hæc porrigere ansam, non admodum difficile probetur. Etenim cum in hac re sum-

A

ma

ma cum laude versati sint *Ezechiel Spanhemius* (1.) *Carolus Patinus* (2.) *B. G. Struvius* (3.) & *R. P. Lud. de Biel* (4.) vix non ingratum foret cramben bis coctam porrigere, unico ideo contentus testimonio Magni Polyhistoris *D. G. Morhossii* (5.) *Sapè*, inquit, *nummi interdum plus loquuntur, quam ipsi auctores, & representata in iis picta rerum publice gestarum, antiquitatum, historia rerum harum indagatores mire juvat.* Idem in historia de Sigillis esto iudicium, ut eadem viva & indubia Titulorum, Præscriptionum, Imaginum; Societatum Veterum signa esse taceam, fidem ipsis faciunt Diplomatis, ut vel ex hoc quantam Historiæ scenerentur lucem admodum iudicatu sit proclive. Quod inter alios evicerunt *Heinacius* (6) *Tileman* (7) *Hertius* (8) nec non Nobil. noster *Peringskiöld* (9), Ego itaque cum rationes meæ Academiæ eo loci pervenerint, ut aliquod præ gradu Magisterii Philosophici specimen editurus essem, eandem potissimum materiam pertexere constitui, quam svasu Ampliss. Præsidis suscepi elaborandam, ut scilicet Lundam nostram contemplatus e Monetis & Sigillis, arreptæque ex his ansa, vetustas res Lundenses luci publicæ sisterem. Hujus suscepti qualiscunque laboris non e longinquo accersenda est mihi causa. Duos hac in re eximios habeo an-

- 
- (1) De præstantia & usu Numismatum. (2) Introductio ad Historiam & cognitionem rei nummarie. (3) Bibliotheca Numismatica (4) Utilitas rei nummarie Veteris. (5) Polyh. Litt. lib. V. cap. 2. §. 2. (6) de Sigillis Veterum (7) de Bullis sive Sigillis (8) Dissert. de fide Diplomatum. (9) vid. passim Ej. Monumenta Upland: & Svea och Götha R. Attar tabl.

antecessores, Proavum meum Celeberr. quondam hujus Lycei Histor. & Poës. Professore & Bibliothecæ publicæ Præfectum Mag. *Andream Stobaum*, qui magnopere id egit, ut geminis sub suo moderamine editis dissertationibus *de Antiqua Scania & de Antiqua urbe Lund*, Lundam nostram antiquo suo splendore Orbi erudito præberet conspiciendam; Quod quam egregie præstiterit, Eruditissimus quisque largitur. Sic quoque hujus Fratrueis, iterum jam Præses meus Celeberrimus, ut Nutritius liberalissimus & Præceptor fidissimus, ita quoque perpetua mihi pietate colendus, egregie de Historia Lundenſi meritus est, cum *Tria Historica Monumenta Antiqua Lundenſia* notis ut laboriosissimis ita curiosissimis explicata, suo præsidio muniret & luci publicæ daret. Quicquid itaque hi magni nominis Viri felicibus adeo auspiciis ad pristinum Lundæ nostræ decus vindicandum conati sint, si ego inglorius homuncio pro viribus impigre imitari & laudatissimis hisce laboribus symbolam aliquam, utut tenuem conferre magnopere gestiã, neminem spero vitio mihi versurum. Etenim tantum Almæ meæ Lundæ debeo, quantum habeo, quantum valeo, licet quam parum sit illud, certe non ignorem, totum tamen quantulumcunque sit, huic Matri acceptum refero, quæ me orbis gremio suo benigna excepit, amplexu suo diu larga fovit, nutrit, erudit, atque nunquam satis deprædicanda cura eduxit, Proinde


*Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,  
Aut Ephesum, bimariseve Corinthi*

*Mania, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos  
insignes, aut Theffala Tempe.*

Almam ego Lundam in suis Numis & Sigillis exhibi-  
turus, pristinam ejusdem ex his reliquiis & certis do-  
cumentis gloriam, pro modulo ingenii eruere cona-  
bor. Non autem possum non, heic denuo Honora-  
tissimi Præsidis mei benignitatem in me deprædicare;  
Huic enim non tantum ipsam materiam, verum eti-  
am typos & ornamenta, quibus illustranda esset, u-  
na cum aliis quibusdam non vulgaribus subsidiis de-  
beo. Tu vero Lector Humanissime enixe mihi ante  
omnia exorandus es; opellæ desiderio forte longe in-  
feriori faveas, conscius quippe tenuitatis meæ, haud  
absque causa vereor, ne in hac imitatione Majorum  
eveniat mihi, quod illi, qui

*Currus Auriga Paterni,*

*Quem si non tenuit; magnis tamen excidit aufis.*



## SECTIO I. de Numis.

Tab. I. N. I. Recta hujusce numuli ar-  
gentei facies, Virum Juvenem stantem, dia-  
demate ornatum, balthæo vel fascia fuccin-  
ctum, sublata dextra, læva pectori adnota  
exhibet, cum inscriptione Litteris Anglo-  
saxonis: MAGNUS REX.

Aversa, Crucem, figuræ quadrangulæ  
globulis exornatæ inclusam, quæ utcunque  
etiam Cratem repræsentat, adscripta Epigra-  
phe Runica: *Sevin Aufstet Frnte.*

Pau-

Paucos admodum, qui vel primit, quod ajunt, labris res historicas Daniae degustarunt, confido latere, Officinam quandam Monetariam Lundæ eandemque percelebrem a primis inde introducti Christianismi Seculis extitisse, & apud rerum Danicarum historicos sæpius nominari; (1) unde Auctor Musei Regii Danici in Proœmio *ad numos varios ac monetas Regum Archiepiscoporum & Episcoporum* monet: ab anno MCCLXXXVIII. sub Rege Erico Menwed denarios novos in edictis usque ad annum MCCCLV. lingua Danica dici nye *Ståanste penninger af Lunde mynt*. Ex earum vero numero Offinarum, de quibus aliquam historicam habemus notitiam, urgent insuper Gravissimi Auctores hanc nostratem fuisse antiquissimam. Prof. And. Stobæus: *inter memorabilia inquit (2) urbis nostræ censenda quoque Officina Monetaria Wyntergården, Cujus mentio non raro in relictis monumentis occurrit, & monetam Lundensem inter antiquissimas non injuria æstimat Thomas Bircherodius in specimine rei monetaria pag. 129 (3) & Regii Numismatis meminit Saxo lib. XII. Cujus quartam partem Anstithi Lundensi donavit Canutus IV. Otto Sperlingius in notis ad Testamentum Dni Absolonis Archiepisc. Lundensis ad verba Denariorum Schaniensium sic differit: Scanienses Denarii non cudebantur nisi Lundis. Lundensis vero Moneta vestigia retro legere possumus usque ad Canutum IV. Regem, qui primus Archiepiscopo Lundensi quartam partem istius moneta concessit circa annum MLXXX. Ego a Suenone Eschritio primam moneta Domum Lundis erectam judico, postquam illic Episcopatum constituit insignem* ab

(1) Vide sis ill. Hwitfeld: in *Chron. Dan.* 1 p. 310. 445. 446 564. (2) In Dissertat: de antiqua urbe Lund. cap. 1. §. 9. (3) item pag. 57.

*Ab anno Chr. MLXV, nec ante Canutum Magnum Danos propriam monetam constitutam habuisse intra Danicum Regnum facile quis evincet &c.* Mihi sufficiant duo allata testimonia, si cui vero hæc non prorsus satisfaciant, alios in hoc negotio adeat historicos, qui omnes, quotquot mihi videre licuit, testimonio ut antiquissimo ita certissimo innixi Saxonis Grammatici (4) Canonici Lundensis, rerumque adeo nostrarum calientissimi, (5) uno ore largiuntur ante Canutum IV. Seculo XI. monetam Regiam Lundæ Scanorum constitutam fuisse, adeoque jam ante annum MLXXX. viguisse. Hinc dicam mihi scripturum arbitror neminem, si nostram officinam totius fere Scandinaviæ antiquissimam existimem, quod salva opinione aliorum firmari videtur apud Messenium, (6) ubi quantum antiquitate aliis aliarum urbium licet Vetustissimarum Officinis nostra præstet, clare elucet. Numulum hunc Svenonis Ulphonidis vel Esthritii esse dudum in duobus a se editis scriptis ostendit Nicolaus Kederus. (7) Cujus studio Antiquitatis indefesso suos quoque sub fig.

---

(4) Libro XII. pag. 216. ed. Steph. (5) Fuisse Saxonem Canonicum Lundensem, non Præpositum Roschildensem probat contra Stephanium O. Sperlingius in notis ad testamentum Absolonis Arch. p. 36. Quod etiam ex codice membranaceo, ubi expresse nominatur Canonicus nomine Saxo, tunc Ecclesiæ Lundensis Acoluthus, confirmat Ampl. Præsidis Programma de Poëtis Lundensibus. (6) Sccond Illustrata T. II. p. 52. Tom. XII. 138. (7) De Argento Runis seu litteris Gothicis insignito Lipsiæ M DCCII. item Runæ in nummis Vetustis diu quæsitæ tandemque feliciter ibidem inventæ Lipsiæ MDCCIV.

1. 2. & 3. numulos opella nostra acceptos refert. Vi-  
ro autem huic de Antiquitatibus nostris meritissimo  
& alioquin fatis Lynceo largiri nequeo, per Magnum  
Regem in recta denotari Magnum bonum Norvegiæ  
Regem, quem ceu Dominum suum hoc numismate  
agnosceret, constitutus ab eodem Sveno Gubernator  
imperii Danici. Ipsa enim obstat historia, Licet e-  
nim aliquando Gubernator a Magno factus sit Daniæ;  
(8) Magnum tamen eo usque non suspexit, ut eun-  
dem tanquam Regem suum in numis veneraretur;  
contra ea, vi, armis, astu, consiliis, regnum suum  
avitum Daniæ extorqnere niteretur. (9) *Magnus Rex*  
competit ideo non Regi cuidam Norvegiæ, sed ipsi  
Svenoni Ulfonis filio a Clericis ita inprimis ob studium  
& amorem in Ecclesiam ejusque Ministros nuncupato.  
Sic absolute & κατ' ἐξοχήν *Magnus Rex* in literis  
dotationis Ecclesiæ S. Laurentii salutatur, (10)  
ubi Cnuto IV. dicitur *Magni Regis filius* atque in Sigillo  
infra pluribus describendo, quo idem hoc Diploma  
confirmavit, *Magni Regis natum* se ipsum appellat; unde  
recte hunc Syenonem Esthritium cognomento  
Magnum dictum fuisse notat Bircherodius *de Moneta-  
ria re antiqua Danorum* p. 48. Robur huic sententia-  
æ addit Rev. Episcopus Lincopensium D. D. Er. Ben-  
zelius (11). Cur vero *Savin* Sveno heic se *Olavi*  
*Frnte* Consanguineum nominet, notum est ex  
Svor.

---

(8) Snorro Sturlazons *Helms Stringla* Tom. II. p. 29. ed.  
Perings. (9) Idem in vita Magni boni (10) Tria anti-  
qua Mon: historica Lund: p. 18 & 20. (11) Comment.  
Mscr. in Histor. Sweo-Goth. Lib. IV. cap. 2. item Acta  
Litteraria & Scient. Sveth. Anni MDCCXXXIII. N. 3.

*Snorrone Sturlao* (12) Olavum nempe nostrum *Siniste* Svecum, Svenonis hujus Avunculum fuisse, uti ex ejusdem Schemate Genealogico, (13) ubi numus hic ceu genuinum probandi testimonium adducitur, liquet. Sicque hoc numulo non modo sibi de tanti Monarchæ ut Avunculi sui sanguine gratulari, verum etiam gratum erga se exulantem præstiti hospitii signum exstare voluit. Si quem fortasse moveat diversum idioma inscriptionum, verbis illi respondebo Kederi: *Atque Svenonem istunc firmare insuper videtur Numi auctorem gemina Litteratura, Gothica videlicet & Latialis, utraque circa Principis istius tempora per regiones aquilonales in usu; invalescens paulatim hæc, dum illa altera sensim evanescebat.* Quibus & hæc addo: Latina nomen ob merita in Ecclesiasticos & Religionis curam inditum; Gothica vero stemma gentilitium inscriptione celebrari. Lundensem autem cur hunc crediderim, facit charagma non dissimile duorum subsequen-  
tium, in quibus cum manifesta fiat Lundæ mentio, non dubitandum omnes tres esse ejusdem incudis; inprimis cum pro temporis illius genio, figura illa Crucis in averfa simul Cratem forte exprimat. Neque multum dubitamus ad hunc quoque *Magnum Regem* pertinere numulum Actis Litter. & Scient. Svec. Anno MDCCXXXIII. insertum, & delineatum ad p. 28. N. 1. Neque hunc neque alterum illum ibidem descriptum & sub N. 2. depictum Officinæ Lundensi abjudicandum puto; Et sic vel ab hisce numismaticis in-

(12) Tom. 2. pag. 27. (13) in notis ad Vitem Aquil. Västqvii Monum: Benzelian; pag. 32. 33.

inferre mihi liceat documentis: aut ab hoc Rege Sve-  
none Estríio, juxta Sperlingium, aut non multo  
ante eum tempore, vel a Cnutone Magno, vel Svenð-  
ne bifurcatæ barbæ, primam Lundæ constitutam fuis-  
se Officinam Monetariam.

N. 2. Recta Salvatorem Mundi sedentem,  
nimbo circumdatum, dextra globum tenen-  
tem & hasta transfixum, quodammodo re-  
præsentat.

Aversa Cratem vel Crucem lunulis sibi ob-  
versis cum legenda Runica: ASKERD UGI  
LUNT.

Numus est argenteus, sed vilioris metalli. Heic  
primo observandum, quod **A** Runicum uti heic  
pingitur in monumentis promiscue ut A & Æ pro-  
nuntiari. (1) Litera **H** propemodum ut Latinum N  
scripta, non adeo infrequens est in inscriptionibus Go-  
thicis, sic ex. gr. ultima in Numuli jam supra memo-  
rati & ex *Actis Litter. & Scient. Ann. MDCCXXXIII. sub*  
*N. 2.* adducti aversa, non potest alia esse, licet lineola com-  
binatoria ibi desideretur; Sic etiam invenitur in voce  
*osa* Lapidis Tullstørpensis in Scania non adcurate a  
Vormio delineati, (2) **Y** & **T** duplicem habuisse  
consonantium potestatem ante Waldemarum II. quo-  
rum

-B

(1) Vide sis Ol. Wormii Litterat. Dan. cap. XIII,

(2) Ejusdem Mon. Dan. p. 201,

rum illud K. & G, hoc D. & T, valeret, notum est (3) **I** Runicum in VGI, Calcographi incuria est omis-  
 sum. Figuram 8, quæ post *Lunt* sequitur, ab o-  
 scitante aut ludente Artifice credit Nobiliss. Kederus  
 substitutam in locum *Crucis*, *quæ in numis Christianorum*  
*decenter sublimata legendi auspiciis & terminum*, ut in  
 numis sub fig. 1. & 3. *indicare solet*. De nomine *A-*  
*skerd* conjecturam facit Kederus (4) *esse nomen Viri &*  
*quidem aut Monetarii aut alius cujusdam honorationis*. Quid  
 VGI vel Vki significet, nisi sit Verelii *Vkui* in Runo-  
 graphia p. 21. se ignorare fatetur. Salvo vero tanti  
 Viri judicio, Numum hunc primo Archiepiscopo  
 Lundensi ASCERO tribuendum existimo, idque trinas  
 ob causas: Primo, quod ante Ascerum constituta fuerit  
 Officina monetaria, quam titulus *Lunt* in averſa indi-  
 cat, Lundam esse Scanorum, non Londinum Anglo-  
 rum, quippe tum *on Londen*, ipsis fatentibus Anglis,  
 foret; (5). Deinde, Figura illa averſæ non crucis so-  
 lum, sed quoque Cratis S. Laurentii figuram insinuat,  
 adeoque insigne Basilicæ Lundensis. Atque insuper  
 videor mihi, in Voce UGI reperire quidquam, quod  
 numulum potissimo jure Asceri huic vindicet. No-  
 tum enim est Veteres Scandianos caruisse Littera Y,  
 ejusque loco usos fuisse **N**; nec eosdem semper in  
 monumentis geminasse literas, quamvis geminate pro-

---

(3) Ej. Litt. D. cap. XV. (4) Tract. Runæ in numis Ve-  
 tustis &c. (5) Vid. Acta Litterar, & Scient, Sv. Anno  
 MDCCXXXIII. N. 3.

pronuntiarentur; cum etiam K. & G. uno eodemque elemento scribantur, videor mihi, inquam, heic invenire cognomen Othini *Teggi* s. *Uggi*, quod Venerandum interpretatur *Gudmundus Andrea in Lexico Islandico* Lit. Y, conf. cum *Edda* P. 1. *Mythol.* 18. & *Part.* 2. *Tit. Nöfn Odins.* adeoque bene congruere cum titulo Venerabilis, qui occurrit, quoties hujus Pontificis nomen memoratur in Fastis Necrologicis Ecclesiæ Lundensis membr. Mscr, nimirum ad III. Idus Jan. XII. Kalend. Jul. II. Kal. Jul. XI. Kal. Aug. XIV. Kal. Dec. (6) Et hac ratione, commodissime interpretamur *Askerd Ugi Lunt* per *Askerus Venerabilis Lundæ* flando, feriundo, fieri curavit; nisi quis forte potius credat, *Asgerd Vgi* nomen fuisse Monetarii cujusdam, aut etiam ad *Esgerum* Archiepiscopum referre malit, cui tamen, utpote qui demum Seculo XIV. vixit, charagma numi non satis bene respondet, licet summus Antiquarius O. Sperlingius eundem Seculo XV. vix antiquiorem reputet. (7)

Num. 3. Vir barbatus, nimbo divinitatis circa Vultum effulgente, togatus, sedens, dextra globum, læva Sceptrum crucigerum tenens, cum Literis Græcis ΙΣΣΣΣΣΣΣ

In Aversa, Crux vel Crates ad angulos, nescio quid ornamenti Liliacei aut cruciformis habens, præter duas lunulas cum Epigraphe

B 2

Go-

---

(6) De *Ascero* hoc *Trokilli* filio Venerabilis dicto, vide sis *Tria Mon. hist. Ant. Lundens.* p. 24. (7) citante Nicol. *Kedero in tractatu de Nummis Runicis,*

Gothica: THURGUT: LUNTIS: Numus est argenteus.

Rectam Salvatorem mundi repræsentare, cujus nomen tres priores Literæ IΣΣ indicant, facile quis animadvertit, ceteræ quid sibi velint, nisi sint repetitæ Siglæ nominis Σωτήρ, ab omni superstitione forte non immunes, prorsus ignoro; nam quomodo Monetarii nomen designent, uti non nemo opinatus est, ego quidem nequaquam percipere possum. Ob figuram illam qualemunque *Cratis* & nomen Incudis expressum *Luntis*, nostrum esse numum haud temere quis inficiabitur. Variæ autem occurrunt sententiæ de *Thurgut*, quas ut speciosas magni quidem facio, inprimis vero illam, qua refertur ad *Thurgothum* expeditionis cujusdam Danorum in Angliam Ducem. (1) Veritati tamen magis mihi consentaneum videtur, si per *Thurgut*, Thurgotum vel Thrugotum octavum Archiepiscopum Lundensem explicemus; (2) idque ipsum *Luntis* indicat; eo enim Seculo, & præcedente quoque, saltem ad finem vergente, plurali tantum numero efferre nomen oppidi hujus soliti fuere monachi; uti ex Diplommatibus Canuti sexti, Christophori I. & Erici Glipping cognominati, Regum Danicæ, quibus anno MCLXXXVI, MCCLII. & MCCLXXXVIII. privilegia Canonice confirmarunt, nec non ex alio Erici Sancti Plogpenning dicti, dato Lundis anno

(1) Acta Litt. Sveciæ anni MDCCXXXIII, p. 27.

(2) Tria Mon. hist. Lund. p. 14, 29.

annq MCCXLIX. VI. Idus April. liquet. (3) Contra hæc si quis obijcere vellet: Runas sub primis Christianis regibus abolitas fuisse, adeoque cum monētis Archiepiscoporum nostrorum, Posterioris ævi inprimis minus convenire; respondeo: Tot monumenta Lapidaria, post illa tempora, quibus Runæ dicuntur abolitæ, erecta, contrarium evincere. Exemplo sit Monumentum *Åsumense* Scaniæ, ubi runis sequentia leguntur: *Krist: Mario: Sun: hialpi: dem: er: Kirkiu: dinu: gudi: Absilon: Erkibiscup: ok: Esbiorn: Multi:* (4) Quid, quod Runæ transductæ ad alias linguas Latinam puta & Germanicam exprimendas, lapidibus sæpe insculptæ legantur; ut hic præteream Monumentum *Årumense*, (5) sufficiat allegasse inscriptionem Runicam ad Januam australem Templi cathedralis, ipsi muro insertam anno MDXXV. (6) Hæc satis arguunt: infirmo, hypothesin de abolitione Runarum, Christianismo introducto, niti argumento, cum tot sequiora & firmissima Veritatis documenta, injuriæ sibi a scriptoribus ejusmodi factæ, lectorem convincant.

#### N. 4. Effigies Viri coronati, pectore tenus, dex-

- 
- (3) Horum primi nondum forte editi ad calcem hujus dissertationis copiam faciam; reliqua duo etiam exstant inter Privilegia collegii Canonicorum Lundens. Micr; Quarti meminit Illust. Hwittfeld: Chr: T. I. p. 221.  
 (4) O Wormii Monum. Dan. p. 171. (5) ibid. p. 176.  
 (6) Tab. III. in Dissertat. de monumentis Lapidariis. conferant: quoque Max. Rev. D. D. O. Celsii observat. de Monumentis quibusdam Runicis, temporibus suis redditæ Act. Litt. Svethiæ passim insertæ.

**dextra latum ensem, sinistra Sceptrum quasi liliaceum gestans:**

Figura hominis mitrati, dextra crucem, læva pedum episcopale tollens, numus est argenteus.

**N. 5. Effigies Regis coronati & paludati, pectore tenus, recta hastam seu bipennem, læva globum cruce vel lilio ornatum gerens:**

Effigies Præsulis infulati, Crucem dextra, læva Lituum sustinens. Argenteus est.

**N. 6. Effigies Regis diademate redimiti & pellibus Hermineis paludati, umbilico tenus expressa, dextra Sceptrum, læva globum cum cruce attollens.**

Aversa, Pontificis infula ornati, dextra crucem, sinistra pedum Episcopale gerentis, effigiem repræsentat. Argenteus quoque est numulus.

Quod æthiopis facie conspiciendus sit hic Præsul, aut pictoris aut cælatoris errori & oscitantæ tribuendum.

**N. 7. Rex imberbis, pileo & toga indutus Regali, dextra Sceptrum liligerum, ad sinistrum Colli Littera W. conspicitur:**

In altera, Archiepiscopi infula sua insignis, pallio item stellis utrinque exornato induti, dex-

dextra Vexillum, sinistra baculum gerentis.  
Icon. Argenteus & ille est.

N. 8. Rex imberbis, umbilico tenus exstans, Casside vel corona peculiari & palla regali amictus, Sceptrum in lilium desinens dextra, pomum cum cruce sinistra tenet:

Inpostico, Icon Pontificis, duobus ab infula dependentibus Lemniscis, pallium Episcopale induta, lituum tenens, ad dextrum latus stella sexangula, Limbus ex circellis compositus numum utrinque ambit.

Argenteus est numus, sed vitio Calcographi est Litera W. in recta dextrorsum a facie Regis omissa, & A. male sinistrorsum exsculpta.

N. 9. Sistitur in adversa, Rex cum corona paludatus, dextra Vexillum, aut nescio quid, sinistra globum gerens.

Aversa, Figuram Viri vittati, nimbo circum caput ornati, dextra Crucem, sinistra cratem præferentis, seu sanctum Laurentium Martyrem, Ecclesiæ Lundensis Patronum, representat. Numus quoque est argenteus.

Cum hisce jam recensitis numulis conferri quoque merentur monetæ, quas delineavit Clar: Bircherodius

**Modus (1).** Certis personis singulos hos numos assignare, cum aliqua certitudine profecto non licet; Si vero aliquis conjecturæ locus relinquatur, exhibebit Num. 4. effigiem Regis *Canuti Sancti* & Episcopi *Egini aut Richwaldi*, cui concesserat jus monetas cudendi. Quod Canuti Sancti præprimis sit, suadet Ensis ille latus in adversa *Gusðhjaltn* cuidam, (2) Snorrone *Sturlæo Gusðbunn Hjólt* (3) dictus, qui numerum hujusce Regis Character singularis, non absque ratione censi potest, quoniam in Numis Tab. XXV. N:o 44. & Tab. XXVII. N:o 29. in Museo Regio Danico delineatis, non solum hujus Regis effigiem distinguit, verum etiam in hoc, ubi simul in averfa, Icon Episcopi a cæteris habitu valde distincti & Archiepiscopalibus nondum ornati insignibus. Hoc idem quoque confirmat alius, quem ante aliquot annos in cœmiterio Løderupensi inventum habuit Præses meus, sed Fautori cuidam curioso, cum tunc ipse de aliqua numerorum Veterum collectione minus erat sollicitus, concessit. Hujus enim recta exhibuit effigiem Regis diademate ornati, dextra latum gladium, sinistra Falconem gerentis; averfa repræsentabat *frontispiciam Basilica Lundensis S. Laurentii*; ut vix dubitandum videatur, hunc in memoriam templi fundati signatum fuisse. Quod si hos cum Sigillo Regis hujus, infra pluribus describendo, conferre velimus, certe non levem convenientiam, sed tantam, quantam a tam rudi pictu-

---

(1) De Re Monetaria antiqua Danor. (2) Auctori Msei Regii Dan. Tab. XXVII. N. 29. (3) *Heimskringla* Tom. I. p. 699. edition. Peringskiöld.

~~pictum~~ unquam sperare licet, deprehendamus. Quod  
 vero ad nostrum attinet, verisimile videtur illum cu-  
 sum fuisse, aut in memoriam fundati & dotati Templi  
 Cathedralis, aut, quod quidem mihi magis arridet,  
 in monumentum tantæ dignitatis, tantorumque be-  
 neficiorum muneri Episcopali concessorum, ut jam  
 quadam Regiæ Majestatis parte uteretur Præsul Lun-  
 densis. Obiter vero heic notandum, hunc & pleros-  
 que reliquos, qui proxime sequuntur, *DANACAS*  
 vel ~~naula~~ fuisse, (4) cum solitarii in sepulcris, & qui-  
 dem per sæpe in ipsis calvariis inveniantur; Nam man-  
 sit, inquit *MATHIAS HOSTUS* (5), hac superstitio apud  
 Sulas mulierculas etiam nostra memoria in Papatu, quod  
 eorum animas post mortem non oberrare, non in adibus stre-  
 pitus facere crederent, in quorum jam defunctorum Os numma  
 aliquis injectus esset. Num. 5. erit *Waldemari I.* & Archiepi-  
 scopi *Abfolonis*. Num. 6. *Canuti Sexii* & Archiepiscopi *Ab-*  
*folonis*. Num. 7. *Waldemari II.* victoriosi & *Andrea Sunonis*  
 Archiepiscopi, in cujus dextra, nisi valde fallor, com-  
 paret *Vexillum Danebragicum*. Cujus igitur heic brevis,  
 simam inserere historiam, forte non inconveniens e-  
 rit. Notum est ex historiis Danicis, Regi *Waldema-*  
*ro II.* Victioso contra Livonos belligeranti, Vexil-  
 lum a Pontifice Romano missum fuisse, ut militibus  
 sub hoc labaro adversus gentiles pugnantibus animi

C

eo

- 
- (4) Danace est numulus vel obolus, quem Veteres mortuis  
 dabant, ut Charonti solverent. (5) De re nummaria  
 Veter. p. 24. citante M. Gottlob Lehman in dessen *Eylferriges*  
*Bedencken über einigen neulich gefundenen Rendesburgischen*  
*Naulis oder Daniacis.*

et fortiores redderentur. (6) Hanc Cruciatam Pontifice collatam posterisque traditam, tanta religione custodierunt ac si cælitus, quod stupido Vulgo persuadebant Monachi, fuisset demissa, Regesque tanti fecerunt, ut insignibus Regni Daniæ eandem albo colore in solo rubeo inseruerint. Hoc Vexillum, Danorum lingua dicitur Dannebræge i. e. Vexillum textura varii coloris *πεποικιλμένη* & primarium totius regni Danici olim signum fuit; Quod etiam Regi electo Legatus Pontificis, Archiepiscopus Lundensis in hoc solenni actu tradebat, ut sub his auspiciis, veluti in dubia victoriæ fiducia, Ecclesiam tueretur, hostes conficeret, regnum dilataret, Cives immunes præstaret. Quod tamen alio spectabat ac videri volebat, quis enim non animadvertit fastum Pontificum, Reges hoc modo a se regna tanquam beneficia impetrare, volentium, ut hi beneficii auctorem perpetuo agnoscerent & quasi pro patrono colerent & veluti alii feudatarii, juramento præstito, feuda sibi commissa acciperent. (7) Num: 8. Hunc existimat Auctor Musei R. Danici esse *Waldemari* primi & Archiepiscopi *Absalonis*. (8) Esse *Waldemari* cujusdam indicant fatis literæ initiales W & A, nisi expressus character sit geminatum I, atque adeo II significet potius secundum quam elementum A. Num: 9. Quicquid illud sit, five

- 
- (6) Vexilla ejusmodi a Pontifice Romano consecrata & Regibus inissa, Galli vocant *Gonfanons* vel *Banieres de l'Eglise*. vid: Diction: Vniversel de Moreri. (7) De Vexillo *Dannebræge* legat: Illust: Hwitsfeld: Tom. I. p. 185. & alibi. (8) Tab. XXV. N:o 30.

sive Vexillum sive Plenarium (9) quod typus rectæ hujus numi dextra gerit, Regis juvenis effigiem in illo denotari certum est, cum & capitis ornamentum, & pomum crucigerum ad lævam conspiciendum hoc indigent; Quod vero in averſa non Archiepiscopi ipsius, sed Patroni Ecclesiæ Lundensis Divi Laurentii icon exhibeatur, & nimbus & vitta, & denique martyrii genus, quod ostentat, satis superque probant; præterea etiam tale ejusdem simulacrum non tantum diversis in locis Templi Cathedralis hodie-  
num conspicitur, verum etiam, modo non dissimili, in Sigillis Archiepiscopi Upsaliensis MAGNI BOO-  
SON & Capituli Ecclesiæ Upsalensis idem compa-  
ret. (10) Hunc Numum esse *Erici R. D. Menwed* co-  
gnominati, aliquis vel inde conjicere posset, quod  
loco Archiepiscopi ipsum Martyrem D. Laurentium  
exhibeat; notum enim est, hunc Regem Archiepisco-  
pum captivum abduxisse & tamen Canonicos & o-  
mnes ac singulos Lundensis Diœcesis Clericos, quam-  
vis hæc Ecclesia sine Pastore jam esset, integris suis  
bonis, juribus & immunitatibus sub Regia sua tutela  
& gratia fruituros, literis regiis Anno MCCXCIV.  
dati, spondisse; ut adeo non absque re affirmare  
liceat, hunc Regem tali numo significatum voluisse,  
se quidem Ecclesiam DEI ejusque Sanctos diligere  
magnique facere, sed simul Archiepiscopi paritatem,  
multo vero magis fastum & insolentiam fastidio sibi  
esse

C 2

---

(9) Plenarium quid sit, explicat Sperling in notis ad Test.  
Abs: p. 139. (10) Vid: Joh. Peringskiöld: monum:  
Ullerakerens: p. 138. & 139.

esse. (11) Hos Numos Lundensis esse incudis & omnes, si primum & ultimum exceperis, in memoriam electionis & inaugurationis Regum in Colle Stibare Högen Rusticis dicto, heic prope Lundam, percussos esse, admodum probabile videtur, cum & primarias in hoc actu personas, & insignia, quibus illa inaugurationis perageretur, ostendent, nec alibi Præfuli tam antiquum jus cudendæ monetæ concessum fuisse legimus; unde ipsis his numulis occasionem subministrantibus, non ingratum prorsus fore lectori, antiquitatis studioso, spero, si paululum, quantum brevis hæc opella permittat, Colli huic Regum electionibus adeo inclyto immorer. Veteres Scandianos quin & alias Gentes de publicis rebus, ut de electione Regum principumve consultaturos, sub dio ad certum aliquem locum convenire solitos fuisse, testantur in Svecia nostra frequentiora Comitia ad Mohra Stenar prope Upsaliam. (12) In Norvegia, Eyra Ting. (13) In Cornubia Anglorum, Biscow Woune. (14) In Germania monumentum, quod vulgo der Königsstuhl bey Rense dicitur, non procul a Confluentia dissitum. (15) In Carinthia, memorabilis ille Furstenstein. (16) In Seelandia prope Letram, Sella Regia Kongs stölen. (17) In

---

(11) Conf. Ill. Hwitsfeld: Chr. T. I. p. 304. (12) Vid. Mich: Wexionii Descript. Svec. Lib. V. cap. III. (13) Snorro. Sturl: Heimskringla Tom: II. p. 196. 336. 412. 422. (14) Cambdenus in descript. Britanniz p. 139. citante Keyslero in Ant. Celt: p. 94. (15) Joh. Hübners vollst.: Geograph: T. III. p. m: 459. & Joh. D. Köhlers Deutsche Reichs Historie p. 304. (16) Joh. Hübners vollst. Geogr. T. III. p. m. 149. (17) Ol. Wormii Monum. D. p. 88.

In Cimbria, Campus Danerling prope Viburgum. (18) & tandem Collis noster Sybers-Hög prope urbem hanc, ubi Comititia ejusmodi, (19) longa temporum serie, sunt habita. Varias vero apud Auctores sortitur Collis noster appellationes, sic dicitur: *Trollebarolhög*, (20) *Trollebarolbium*, (21) *Treloyeborg*, (22) *Treloyebantzhay*, (23) *Leyrborskay*, (24) *Søijebarskhøi*, (25) *Lubershøi*, (26) *Sybers Høi*, (27) *S. Liberti Hög*, *Libanus Collis*, *Elibare Høgen*, (28) *Sydeboars Hög*. Ultimam hanc, ut maxime genuinam, præeuntis Proavi B. M. Andr. Stobæi vestigia venerabundus observans, lubentissime amplectar. Hoc autem ille modo (29) differit: *Ex historia insuper Danica Meursii p. 8. discimus, ante hanc urbem collem esse, in quo Reges, prisco gentis more eligi soliti erant; Collem Meursius vocat Trollebarolbium, voce nimirum depravata, neque enim hic uspiam ejus nominis Collis existit. Nisi collem Sybershög, in quo electionem factam communis fama fert, binominem fuisse & alterutrum nominum obsolevisse*  
lar-

- (18) Idem l. c. (19) Hæc publica Nobilium comitia observat, And. Hoyer in *Dannemarfische Geschichte* dicta fuisse *Dancheff*, p. 54. dicta quoq; fuisse *Parlamenta* probat *Waldemari Birkerætt* data *Malmogiz* aliisq; urbibus MCCCXXVI. in parlamento Nyborrig. (20) Joh Svaningius in *historia Christi I.* citante *Worm: in Mon: D. p. 89.*  
(21) Joan: Meursii *Hist. Dan.* p. 8. (22) *Schwedische Biblioth.* *Drittes Eück* p 202. (23) *Ibidem* (24) *ibidem.*  
(25) *Ol. Worm: Mon: Dan* p. 88. (26) *Chron. Norv. edit. a Petro Claudii filio P. Undalino* p. (27) *Ill: Hwilsfeld: passim in Chr.* (28) *Herm: Chytræi Vej. Mon: Scanica Msc:*  
(29) *And. Stobæi Dissert: de Antiqua Scania* p. 28. item *S. I. in dissert. de Antiqua urbe Lund:*

*Largiamur.* Lybershög au em dicitur quasi Lydeboarshög; totus enim hic tractus intra amnes Lunnina & Lyde dictus est Lydebactar, cumque rarissime spem agricolarum optimis fallat messibus & proverbium increbuit: Alla tunna intet boo på Lydebactar i. e. non omnibus datum est habitare in collibus Lydeis, quo significatur non omnibus eandem esse felicitatem. Nec negandum est, feracissimam esse glebam & Colles hos cum Libycis illis areis apud Horatium (30) bene convenire; Horum enim incolam juvat:

*Si proprio condidit horreo  
Quicquid de Libycis verritur areis  
Gaudentem patrios findere sarculo  
Aeros.*

Ex hisce fatis superque constat, quædam interrecensita nomina Collis nostri, aut contracte pronuntiar, aut dialecto Danicæ, vel male narranti ac describenti originem debere; quod tantum de nominibus Collis nostri a *Ley*, *Lei* vel *Ly* incipientibus, dici velim. Cum vero in Vicinia Collis nostri loca alia extra urbem edita occurrant, horum recensio dabit fortassis occasionem conjectandi quoque de aliis nominibus. Sic prope pagum Wahskiärre, est maximus ad viam Regiam Soll-Högen, forte Troll-Högen, quia fama est Ruricularum, opulentos illic thesauros a Caco-dæmonibus Trollen asservari. Arva in quibus situs est Troll-Högen, dicitur Trolle-tvången. Wang Scanice, Wang Danice, Suethice Giärde, est: Campus sepe, ob messem ab insultu bestiarum conservandam, munitus. Inter Collem Lybers-Hög & Troll-Högen, dextrorsum ad viam

viam Regiam est *Kungs-Högen*, Collis Regius. Ad ortum a Colle nostro, quatuor fere stadiis, sunt Clivi Comitiales *Sings-Högarne*, in quibus, ab ultimis temporibus, comitia civium publica celebrata fuisse perhibent indiginæ. Ad occasum, æquo fere spatio, conspicitur Collis *Bål-* sive *Boll-Högen* dictus, quem, tempore belli ad indicandos hostium incurfus, pyris instruendis & incendendis, propter amplum quaquaversum conspectum narravit mihi rusticus. His præmissis examinanda est Johannis Meursii nomenclatura. Verba sunt (31) *to* (scil: Christianus I.) *postquam advenisset IV Kalendas octobreis ante Lundiam, in Trollebarolbio colle, prisco electionis loco, frequentissimo conventu, accepto ab omnibus juramento & Vexillo item Regni ab Ivone Archiepiscopo, Rex a cunctis Danica Norvegiæque salutatur.* Duplicem hic esse mendam recte annotavit Clarissimus Stephanus, existimat namque, Meursium fugiente nimis oculo legisse verba *Johannis Suaningii* Historici in vita Christiani I. Regis Danicæ. Luculento id esse potest indicio, quod pro *Trollebarolhøy* substituatur *Trollebarolhy* lat: *Trollebarolbium* & Archiepiscopum *Tuonem* Meursius perperam *Juonem* appellat. Si quis igitur *Suaningium* suum *Trollebarolhøy* consuisse ex *Trolle-* & *Bålthög* existimet, illi non refragabor, cum nullam aliam nominis hujus rationem adferre valeam. *Trolloyebantzhoey* nihil aliud esse crediderim quam *Trollewangshöi*, Collis in *Trollewången*. *Treloyeborg* originem debere *Trolle* & *Løpebars* *Dayus* forte videt. *Ölibare Högen*, ut nomen vulgatissimum, ortum esse crediderim a voce sca-

(31) In Historia Danicæ p. 8.

scanica *slita*, *slipa*, acuere. Commodissimus enim situs Collis nostri, cum rivulo *Slibarebåden* clivum præterlabente, dum ille a rusticis sepe adauctus umbram & refrigerium, hic aquam exacuendis cotè falcibus messoribus præbent, videtur ruricolis occasionem dedisse nominis *Slibarebågen*, ut proinde non opus sit cum *Herm: Chytræo Vejano* ad divum aliquem S. Liberium vel Libertum confugere, cum nomen hoc nec antiquum sit, nec apud alios auctores fide digniores inveniat.

*Nec DEUS interfit; nisi dignus Vindice nodus  
inciderit:*

Ex diversis hisce Collis nostri nominibus suspicari liceat, electiones Regum non præcise semper in eodem peractas fuisse loco, sed tantum in Vicinia, & remotiori vel propiori locorum vicinorum, in quibus fierent electiones, ad collem nostrum distantia, varias hæc appellationes enatas esse. Ritus autem, quibus hæc Regum electio & homagium perageretur, suppetant Auctores (32) hoc modo: Regem nempe eligendum, cui fidem sacramento præstarent Cives, primo in templum sancti Laurentii, precibusque ibidem peractis, & donis Templo ejusque Ministris oblatis, extra urbem se contulisse; Deinde ordinem equestrem Civesque honoratiores, summa ordines Regni, prius, uti suspicamur, in Collibus comitialibus *Singsbågarne*  
con-

(32) Ill. Hvitf: Chr: T. I. p. 570. Svaningius apud *Wormium* in *Mon. D.* p. 89. Consult: *Dni Christ: Nettelbladt* *Schwedische Bibliothec. drittes Stück* p. 202. *Meurs: Hist. D.* p. 8. 46. 57.

congregatos. Regi in colle majori *Lybershög antiquae electionis loco* occurrisset, praestitoque a Rege juramento Archiepiscopo, ceu Principi aut Antistiti Ordinum, de juribus, privilegiis, immunitatibusque singulorum civium conservandis, Regem, impetrato ab eodem Archiepiscopo, Vexillo Regni, fuisse ab omnibus salutatum. Quibus in campo finitis, in urbem Lundam omnes rediisse, mutuisque ibidem sese excepisse convivii. (33) Cumque hic Collis noster, pluribus in locis, priscus & antiquus electionis locus nuncupetur, (34) non dubitandum videtur, morem hunc electionum a multis retro temporibus esse repetendum, quousque scilicet Scania vel sui juris fuerit, vel Danico paruerit imperio. Et licet ante Waldemarum II. de more hoc eligendi & inaugurandi, explicita apud Auctores non inveniantur testimonia historica; num ideo negandum, multos vel illum antecedentes vel subsequentes & quorum electiones apud auctores non commemorantur, loco ei rei proprio inauguratos fuisse? Cum vel tacitus mihi videtur Auctorum consensus hoc probare. Praeterea, certe de Regis Svenonis cujusdam inauguratione, testimonium perhibet Numulus apud Kederum, (35) persimilis nostro sub N:o 10. delineato. Quisquis autem fuerit ille *Svein Rex*, licet cum Svenothonis monetis charagma adprime conveniat, haud facile dictu erit. Ante constitutam Lundae Archiepiscopalem sedem percussum esse, quod Angelus locum

D

Ar-

---

(33) De Convivio videatur praepositis Hvitfeld: Chr: T: H. p. 1456. (34) Apud Meursi. locis cit: (35) de Argento Runis insignito N. 4.

Archiepiscopi in illo occupet, insinuare videtur. Quod si vero per hunc Angelum, Regem Norvegiæ & Daniæ Magnum Bonum intellectum velimus, sane nullam veritati vim inferemus; cum Historici testentur, hunc Regem jam moribundum ad sese arcessisse Svenonem Elstritium eique Regnum Daniæ tradidisse. (36) Svenonem cognomine Grathe, in Scania quoque electum & confirmatum fuisse, narrant Saxo & Hwitsfeldius. (37) Nec de loco diu hæsitandum videtur. Sed de Canuto VI. negare non possumus illum Ringstadii, parente adhuc superstite & sic volente, ab Archiepiscopo Lundensi inauguratum & coronatum fuisse; verum ægri Scanienses hoc tulisse & primum adversus Patrem, illoque mortuo, etiam adversus ipsum Canutum seditionis bellum commovisse, regemque sibi alium, Haraldum Skreng elegisse; tandem vero heic prope Lundam, amica & facunda adhortatione Absolonis Archiepiscopi delenitos pacatosque Haraldum suum repudiassse, ac Canuto Regi legitimo obedientiam promississe. (38) Hoc autem certissimum est, hunc regem diplomate suo Ecclesiæ & Capituli Lundensis privilegia Anno MCLXXXVI confirmasse; an tunc ipsi denuo homagium præstitum sit, non facile dixerim; Id tamen vere dicere possum, plerosque Reges circa sue inaugurationis actum, hæc Clericorum nostratum immunitates litteris confirmavisse. Et sane post Waldemari II. tempora, Vexillum illud Regni Daniæ

(36) Hwitsfeld. Chr. T. I. p. m. 79. (37) Hist. Dan: lib. XIV. p. m. 253. & Chr. T. I. p. m. 103. (38) Hwitsfeld; Chr. T. I. p. m. 140.

braage, quippe cui Papicolæ divini quid inesse Vulgo persuadebant, & consecratio a Legato Papæ dubitare non sinunt: Tantum enim abest, ut Reges hunc solennem actum, ob captandam benevolentiam Civium intermiserint, Archiepiscopi jus hoc Regem inaugurandi & consecrandi neglexerint, Nobiles & Ordines regni sibi & suis privilegiis apud Regem novum defuerint, ut potius, reges semper in Papatu observasse, & numis ex Lundensi Officina duplici facie Regis & Archiepiscopi signatis, memoriam electionum ejusmodi prope urbem nostram indicare & conservare voluisse, arbitrer. Idem esto judicium de regibus, qui Lundæ nostræ apud Auctores dicuntur coronati, quamvis nulla eorundem, ut extra urbem electorum, fiat mentio, probabiliter tamen adfirmari videtur: Eundem extra pomeria in prisco electionis loco fuisse electum, qui intra eadem postea coronatus dicitur. Indicem itaque Regum cum in urbe nostra coronatorum, tum in colle electorum, prout eundem apud auctores colligere licuit, Lectori sistam:

Valdemarus II. Victoriosus, coronatus ab Archiepiscopo Andrea Sunonis Anno MCCIII. (39) Ericus Plogpenning dictus, coronatus ab Uffone Trugothif. Anno MCCXXXII. (40) Christophorus I. cum Regina Margaretha Sambiria Sprenghest coronati ab Eskillo Slesvicensi tum Episcoporum Seniore, mortuo nuper Archiep: Uffone. (41) Ericus Menwed ab Archiepiscopo Johanne Droës MCCLXXXVIII. (42)

D 2

Olaus

---

(39) Illustriff: Hwitfeld: Chr: T. I. p. 171. (40) Id. p. 198.  
 (41) Id. p. 235. (42) Id: p. 300.

Olaus Haquini & Margarethæ Filius, electus MCCC-LXXXV. (43) Margaretha Regina, absens licet, eligitur MCCCCLXXXVII. (44) Christianus I. Oldenburgicus, electus & inauguratus a Tuvone Archiep: MCDXLVIII. (45) Johannes Christ: filius, eligitur vivo Patre & Archiep: Tuvone MCDLXVIII. inauguratur per Johannem Brochstorp MCDLXXXI. (46) Christiernus II. bis fide publica Cives in colle sibi obstringit. 1. vivo Patre, 2. per Comitem Oldenburgicum Christophorum (47) Friedericus I. MDXXIV. (48) Christianus III. MDXXXV. (49) Friedericus II. MDXLII. (50) Christianus IV. MDLXXXIV. (51) Christianus V. Princeps MDCX. (52)

N. 10. Effigies sive Regis senis, sive Archiepiscopi erecti, coronati & trabea vel pallio induti, dextra labarum Principi Juveni adstanti tradentis; sub vexillo: II.

In

- 
- (43) p. 570. (44) p. 573. (45) Joh. Meurf: Hist. Dan: p. 8. (46) Ibid. p. 46. 57. item Schwed: Bibliothec drittes Stück p. 202. Unde sua desumferit Joh. Hübner in Reales Staats, Zeitungs, und Conversat: Lex: Tit: Ord: Eleph: cum Johannem hunc cum Christina filia Ernesti Ducis Sax nuptias Lundæ MCDLVIII. celebrasse perhibeat, ego invenire non potui; meliora nos instruit Illust: Hwitsfeld: T. p. 956. non semel vero dormitat bonus ille Hubnerus. (47) Hwitsfeld: T. II. p. 1094. & 1422 (48) Ibid p. 1254. (49) Id. p. 1456. item And: Hojern Dannemarfische Geschichte p. 221. (50) Ibidem p. 1516. & 260. (51) Cl. Lyschanders Sleeftebog p. 695. (52) Siw. Grubbe Curricul: Vitæ mscr.

In altera; crux, quam tres Lunulæ ad singulos apices, & aliæ quatuor majores in angulis, Rosa. autem in medio, exornant cum Epigrapha: KRISTIERNII.

Numus est argenteus crassior sincerioris metalli; hic perquam illi similis, cujus supra ex *Kederi Scripto de Argento Runis insignito* mentionem feci, inaugurationem sistit Principis Christierni II. Hanc vero per Birgerum Archiepiscopum Lundensem Hafniæ factam, extra dubium est. Præter alios enim historicos, ejusdem meminit Appendix Mscr. D:ni Nettelbladt ad Chronicon Nicolai Archiepiscopi Lundensis in hunc modum; (1) *Christiernum II. in comitiis Hafniæ publicis in regem inauguravit Birgerus die festo S. Trinitatis, qui incidit in XI diem Junii anno MDXIV, teste Har: Hvitfeldio.* (2) Vexillum vero, in hoc actu solenni, non a Rege, sed ab Archiepiscopo novo Regi tradi solitum, alia satis probant Historica documenta; ut adeo sculptoris aut pictoris vitio tribuendum, quod loco Archiepiscopi, hic Rex corona radiata conspicuus repræsentetur, nam in ipso humo nec corona ejusmodi nec infula, sed diademate peculiari senex ille conspicitur ornatus. Nec me fugit, cruciatam illam Danebraage a Papa missam, unde Equites aurati Danebrogici, (3) sub Johanne in Dithmarsia deperditam fuisse; (4) sed neque diu me dubitare finit eorum temporum superstitio & hujus quo-

---

(1) Schwedische Bibliothec drittes Stück p. 202. (2) Chron: Tom. II. p. 1102. (3) Joh. Hubners Reales, Staats, und Zeitungs Lex. tit: Danebrog's Ritter. (4) Hvitf: T. II. p. 1033.

que Præfulis arrogantia, aliud mox ab eodem consecratum, vel etiam ab ipso Pontifice Romano transmissum & in locum deperditi substitutum fuisse labarum. Numum vero hunc Lundensi incudi vindicare ego quidem non sustineo, sed tantum ideo productum volo, quod visus mihi sit pulcre reliquos illustrare, nec ab alio, quantum scio, antea descriptus.

Num; II. Crates, quam in reliquis conspectior.

In altera, Gladius informis per quam latus & brevis, ex illorum forte genere, quos lingulas dixerunt (1) lineis quibusdam oblique tractis cancellatus quasi & deletus, ab cujus dextro latere luna, a sinistro sol, utrinque soles minores seu potius circelli.

Argenteus est numus, sed non sincerus. Ex Craticula in adversa facie, Lundense hoc esse numisma satis confirmatur, eoque tempore forte cusum esse, quo inter Regem Archiepiscopumque quendam hujus loci Jacobum Erlandi puta, aut Johannem Grand, aut Legatum Pontificis, postea Archiepiscopum Isarnum, quædam contentiones intercessere, quemadmodum videtur ex numi postica facie. Cum vero nullæ feruentiores quam inter Regem Christophorum I. & Archiepiscopum Lundensem Jacobum Erlandi existerint querimonix de moneta; (2) existimat Auctor Mu-

---

(1) A: Gelli Noct: Attic; lib. X. cap. 25. (2) Ill: Hwitsfeld T. I. p. 252.

Musei R. Dan. (3) *Numum hunc Jacobi Erlandi fuisse.* Vir enim erat per quam fastuosi spiritus, itaque haud veritus est quoque profiteri, se æquo gladio *Spirituale*, ac Regem *seculari* accinctum esse, duos enim voluit haberi gladios, *Spiritualem & Secularem* (4) & sic conjectat idem ille Auctor: *Gladium in numi poslica multis lineis tractis, confractum & concisum atque discerptum, aut Regem aut Archiepiscopum circa eadem tempora voluisse.* (5) De hujusmodi ac aliis litigiis inter Reges & Archiepiscopos nostros, argute loquitur Illust. Hwitsfeld: his verbis: *Saa befinder vi titl med, at den mechtige Geistlighed udi fordom Dage, som hengde aff Pastsven, altid haaffver været Kongerne, som Sennep udi Næsen* (6).

Num: 12. Adversa Cratem rudi arte delineatam; rastrum potius aut quidvis aliud referentem; Aversa Clavem cum lunula ostentat.

Num: 13. Recta cratem utcunque ostendere videtur, altera literam L quater repetitam & in quadraturam dispositam, ut crucem efformet, exhibet.

Ambo hi numi artis admodum rudis, nec satis probi argenti sunt. Crates, utut ruditer repræsentata, ex officina monetaria Lundensi produsse, satis certum reddit. Nec Clavis in prioris, nec Litera L in posterioris aversa aliud insinuat, cum illa potestatem Ecclesiasticam significari, hanc initialem nominis Lundæ, aut sancti Laurentii Patroni Lundensis esse existinem; certis

---

(3) ad Tab. XXV. N: 19. (4) Hwitsf. T. I. p. 252. (5) Musf. Reg: D, Tab. XXV. n. 29. (6) Tom. I. p. 225.

certis autem auctoribus, ob defectum inscriptionis eosdem assignare nequeo. Hujus census sunt ~~modi~~ quidam a Cl. Bircherodio (1) delineati, ille præcipue in quo litera L quadruplex conspicitur.

Num: 14. Recta Literam K seu Siglam Regiam coronatam circello inclusam.

Aversa, Coronam seu cassidem regiam quadrangulo inclusam, ut quodammodo craticulam quoque referat, cum duabus ad angulum superiorem lunulis, exhibet.

Litera K satis indicat numum hunc ex argenteo viliori conflatum, cujusdam Regis Canuti esse; Verum, utrum ad Canutum IV. an potius ad sextum pertineat, non liquet; Nam quemadmodum ante illius consecrationem, nomen *Canut* vel *Canuto* per C & K promiscue fere scribebatur; (1) ita etiam Canuti, quod, illi in divorum numerum relato, nomen concessum fuit, non raro per K scriptum invenitur. Certe corona illa quadrangulo inscripta, Charagmati temporum Canuti IV. non male respondet, si cum Sigillo ejusdem Regis conferatur. Verum cum metalli bonitatem, seu potius vilitatem consideremus, rectius forte hunc denarium Canuti VI Scaniensem pronuntiare licebit, quia jam tum in deterius prolapsa fuit res monetaria, adeo ut necesse habuerit Absolon Archiepiscopus, a novis distinguere denarios Scaniensis Veteris monetæ, uti ex ejusdem testamento & notis Sperlingii patet. (2)

Num:

(1) Specimen! Antiquæ Rei Monet. Danorum ad p. 105.

(1) Vide sis Tria Mon. Ant. Lund: p. 18. (2) p. 9. & 107.

**Num: 15.** Littera monastica E. ut Sigla Regia; coronata, cum epigrapha litteris monastico-barbaris: **MONETA. LVNDEN.**

**Cruz & circum illam: IN NOMINE DOMINI.**

Numus est valde subærat, vel potius totus æreolus, quamvis forte recens tenui lamella argentea fuerit obductus.

**Num: 16.** Corona cum inscriptione monastica: **ERICVS REX D.S. N.** id est, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ.

Aversa crucem exhibet, cum hac epigrapha: **MONETA: LUNDENS.** Numus est ex argento optimæ notæ percussus.

Numos hos Lundensis esse incudis & Regis Erici Pomerani ex ipsis constat legendis; cumque prior vi-  
lior sit & admodum subfarcinatus, credibile est, eundem ejusdem census numorum esse, ob quos Ericus apud subditos fama laborare cœperit, de quo Hvitfeldius & alii (1) Posteriores autem ob metalli bonitatem illius generis esse existimarim, quod optima Regina Philippa, ut odia illa civium concitata mitigaret, nescio Rege, probum & incudem Regis plane referens ex suo substituerit, (2) Ad numos hos Erici Pomerani & Reginæ Philippæ, colophonis loco ad-

E

dam

(1) Tom. I. p. 726. item R: D. & Ep. Dni Erici Benzeli Comment. in Hist; Sv: G. mscr. lib. VI. cap. III.

(2) Loc. cit;

nam quod de nuptiis eorundem habet Diarium Vad-  
stenense. (3) MCDVI. *Hoc anno celebrata fuerunt Nuptie*  
*Dr. Regis, cum filia regis Anglorum nomine Philippa, in civi-*  
*tate Lundensi.*

---

(3) p. 35.



## Sectio Altera

De

### SIGILLIS LVNDENSISBVS.

TAB. II. FIG. I. Martyr Laurentius crati  
impositus, subjectis prunis torretur; illum vo-  
ro duo Genii e nubibus aspectu suo corrobo-  
rant, alter divo turribulum, alter crucem o-  
stendens, horum in medio stella corruscat  
sexangula. Hæc omnia ambit inscriptio  
monasticis literis talis: S. CAPITVLI. LVN-  
DENSIS. ECCLESIAE. DANORVM. SWE-  
VORVMQVE. METROPOLIS.

Notum est ex martyrologiis, peculiare & ex-  
cogitatissimum B. Laurentii fuisse martyrium, eum  
crati impositum, ignibus subjectis tostum jacuisse,  
hosque cruciatus adeo spretos a constanti & sancto  
Viro, ut mediis in flammis exclamaverit, jusseritque  
in alterum se latus verti oportere, quod alterum  
jam satis tostum sibi videretur. Hoc suum gloriosum  
martyrium, subiit Sanctus noster jussu imperatoris  
Vale-

Valeriani die X. Aug. anni CCLXI p. n. C. (1) Ad antiquitatem hujus Sigilli quod attinet, nihil certi sane de illa statuere licet. Admodum tamen verisimile videtur, tum demum hac forma comparatum fuisse, cum magna de Principatu inter Upsaliensem & Lundensem orta fuisset contentio, hoc antiquum Jus primatus denuo urgente, quo ille sese dudum subtraxit: & forte idem, post reditum Archiepiscopi Joannis Brochstorp a comitiis Calmarniensibus, factum esse, non absque re quis suspicari posset. Notum enim ex Nob: Perinaskiöldio est: (2) cum Johannes Archiepiscopus Lundensis Calmarniam, ubi anno MDLXXXII. Conventus Procerum trium Regnorum borealium habendus erat, priusquam Jacobus Archiepiscopus Upsaliensis advenisset, Crucem sibi primatus ignum præferri fecisse. Quod Archiepiscopo Lundensi extra suæ Jurisdictionis terminos facere non licuisse, nisi pro Primatu haberi voluisset, notum est ex præceptis Juris Canonici. (3) Hanc Crucis gestationem cum Jacobus Upsaliensis paulo post adveniens, ægre tulisset & prorsus interdixisset, urbem postea ingredi noluit Johannes, sed in navi sua delituit ob denegatum Primatus honorem; inde domum reducem hunc Johannem suspicari liceat, hoc Sigillum, ut denuo suæ sedi metropolitanam dignitatem assereret, totamque Svethiam suæ provinciæ subjiceret, invitis licet Upsaliensibus, sculpi jussisse; Fatemur

E 2

equi-

(1) Baronius in Martyrol. (2) Monument. Ullerakerens. p. 169. (3) Ol. Rosenii Tractatus Jur. Pub. de Episcopis Regni Svionici Romano Catholicis p. 24. in notis.

equidem ante eam, Tuvonem etiam Crucem Archiepiscopalem ibidem, adeoque extra provinciam suam sibi præferri jussisse, uti patet ex protestatione quorundam Episcoporum contra jam nominatum Archiepiscopum, (4) sed tamen hoc modeste ac prudenter excusavisse, immo promississe, sese non ægre laturum, si Archiepiscopus Upsaliensis in sua Provincia eadem prærogativa aliquando uti vellet; Interim tamen, eundem & plerosque alios Archiepiscopos Lundenses, post initum Unionis inter tria hæc regna fœdus, Calmarniæ MCCCXCVII. usque ad Johannem hunc Brochstorpium, abstinuisse ab illo dudum odioso primatus titulo, quo non solum Johannes ejusque successor Birgerus usi sunt, sed inepte & insolenter vertere non dubitarunt Sveriges Rikste, quod ex horum præsulum litteris, ipsaque adeo posterioris tumba, in Crypta Templi Lundensis apparet (5). Sigillo autem hoc Capitulum Lundense diu usum fuisse, usque ad ultimum Episcopum Danicum Lundensem D. Petrum Winstropium, immo aliquot annis, postquam Provincia Scaniæ Svethico vindicata fuerit imperio, nondum abrogatum testantur Litteræ, uti vocant, *Scotationis* Riksbref fundi ædium, quas jam inhabitat Dominus Præses, quibus Sigillum hoc appendet. Verum, quoniam Verba inscriptionis singula mereri videntur singulare commentariolum, agendum illa percurramus.

S.

(4) Vid: Skriffteliga Bæmis till Biskops Chronikan p. 48.

(5) Ill: Hvitfeld: Chron Fp: p. m. 91. confer quoque Acta publica in Joh: Hadorphii andra deel till Rim Chronik: p. 117. 124, 139, 135, 308, 386. 387. &c.

§. Utrum *Sigillum* vel *Secretum* legas, nihil inter-  
est, cum hisce vocibus promiscue fere usi sint medi-  
ævi scriptores, qui etiam minora sigilla dixerunt  
*Signeta*. (6)

CAPITVL. Capitulum est locus, in quem con-  
veniunt Monachi & Canonici, sic dictum, inquit,  
Papias, quod *Capitula ibi legantur. Capitula librorum dicta,*  
*quod breviter capiant & contineant aliquam sententiam, sive*  
*quasi Caput & titulus majoris scripti. Unde Clericorum Capi-*  
*tulum dictum, quod Capitula ibi exponantur.* (7) De pri-  
ma Collegii Canoniorum Lundensium fundatione,  
ejusque incrementis hanc qualemcunque notitiam è  
*Libro memoriali, codice manuscripto membranaceo quon-*  
*dam Ecclesiæ Lundensis nunc Bibliothecæ, nec non*  
*Tabulis reddituum Capituli, Unde Capitulis Jordebos,* excer-  
ptam & collectam subnectere lubet; Primum in-  
tuisse Canutum IV. s. Sanctum una cum Ricwaldo  
Episcopo ex bonis, quæ diploma (8) enumerat (&  
quam donationem, denuo exacto seculo, confirmavit  
Diploma Canuti VI. ad calcem hujus dissertationis  
adnexum ) X. præbendas, quarum prima erat Præ-  
positura, quam deinde lautioribus redditibus beavit  
Rex Ericus Enegod s. Bonus cognominatus. His bi-  
nas adjecisse primum Archiepiscopum Ascerum,  
unam vero Regem Ericum, cui cognomen *Emune*  
obtigat, sed qua nunquam potitum est Capitulum,  
uti

---

(6) Vide sis Caroli du Fresne Glossar: ad Scriptores mediæ  
& infimæ ætatis T. III. (7) Citante eodem p. 899. T. I.  
(8) Hujus copiam facit Dissertatio de Tribus monumentis  
Lundens; p. 20.

uti narrat Illustris Hvicfeldius (9). Elschillum autem Archiepiscopum deinde adhuc tres e bonis suis patrimoni-  
alibus fundavisse, multaq; alia Canonicis suis contulisse  
beneficia; inprimis vero in dedicatione Templi hujus,  
ipsis Kalendis Sept: A. MCXLV facta, aliquot dignitates  
seu praelaturas instituisse & primum Cantoratum heic  
ordinasse. Sic tandem Regum, Magnatum, aliorumq;  
pietas & munificentia, immo perversa non raro reli-  
gio, bona hujus Ecclesiæ in tantum adauxit, ut præ-  
ter sedis Archiepiscopalis opulentos, peramplos &  
principe dignos reditus, præter etiam multos lateque  
patentes fundos ædibus hisce sacris extruendis & re-  
parandis, vel uti loquuntur istorum temporum do-  
cumenta, fabricæ dicatos, *IV. Prælatibus, XXX. Præbendis,*  
*XIV. Mensis & L. Vicariis seu Altaribus* constituendis & su-  
stinendis suffecerint. Hujus tam insignis Collegii Privi-  
legia & immunitates, diplomatibus, quorum omnium  
apographa sincera & probata Præsidis Bibliotheca as-  
servat, postmodum confirmarunt suis, & novis dona-  
tionibus adauxerunt Rex Waldemar MCCXXXII;  
Christophorus I. MCCLII. Ericus Menwed MCC-  
LXXXVIII. Magnus IV. Svethiæ, Norvegiæ & Scaniæ  
Rex MCCCXXXII, MCCCXL, MCCCLXIII. Ejus-  
dem Filius Svethiæ Rex, & Scaniæ Dominus, Ericus  
MCCCLVI. Olavus Rex Daniæ & Norvegiæ, MCCC-  
LXXXV. Margaretha trium regnorum septentriona-  
lium Regina MCCCXCIV. Ericus Pomeranus MCDIII.  
Christophorus Bavarus MCDXL. MCDXLIII. Chri-  
stiernus I. seu Oldenburgicus MCDXLIX. MCDLXVII.  
MCDL-

MCDLXXIII. MCDLXXXI. Johannes MCDLXXXIV, MCDXCI, MCDXCV, MD. Christianus III. R. D. MDXXXVI, MDXXXVIII. MDXLVII. Friedericus II. MDLIX. MDLXXXI. MDLXXIII. MDLXXV. Christianus IV. MDXCVI. & Friedericus III. MDCXLVIII. Neque sua auctoritate & beneficentia Capitulo defuerunt Archiepiscopi, uti ex Literis Eschilli MCLVI. Johannis Brochstorpii MCDLXXIII. & Birgeri MCDXCIX. nec non ipso *libro Dalico* satis manifestum erit.

LVNDENSIS. Urbis nostræ nomen vario modo apud Auctores terminatum & latinitate donatum legitur, quæ varia nomina recenset B. M. *Andreas Stobæus*. (10) Fuisse ab ultimis temporibus, ante Christianismum introductum, appellatam *Lunþ* testatur inscriptio Rupis *Bunamo* in Blekingia, ubi expressis runis *Lunþ* legitur. (11) Originem Vocis ita conatur *Hermannus Chytræus Vejanus* explicare: *Lunda* nomen suum a Londino Anglorum, ut quorundam est opinio, non accepit; Sed a voce *Lund*, lucus; a parte quippe orientali Urbis, erant *Deastræ* Majorum nostrorum *Thor*, *Odinus* & *Frigga*, in tribus collocati collibus, in cujus rei memoriam, hodiernum *Nundinastrum* collium *Trehögars marknad* celebrantur; ob horum *Deastrorum* cultum, frequentissima semper confluit hominum multitudo; quibus rebus factum est, ut luco exciso Urbs eodem loco exadificata nomen *Luci* retineret. De Urbis hujus antiquo splendore sequentes habentur *ryshmi*:

Daa

(10) In dissertat. de Antiqua urbe Lund. cap. I. §. II.

(11) De hac inscriptione agit Cl. *Stephanus* in notis ad Saxonem Grammat p. 21.

Daa Christlus lod sig sêde,  
 Stod Lund och Scanör i sin seierste Gröde. (12)  
*Ante annos multos nascentis tempore Christi,*  
*Et Lund & Scanora simul viguere potentes. (13)*

Post lucem vero Christianismi introductam, latine dicebatur *Lunda*, quam appellationem nos retinemus. Sic in diplomate dotatorio Canuti IV. legitur *Altum Lunda*, qua terminatione etiam usus est *Adamus Bre-menfis*. (14) *Saxo Grammaticus* *Lundiam* scripsit, (15) quem imitatus est *Albertus Kranzius* (16). Alias posteris temporibus in casu tertio plurali *Altum Lundu* scribebant. Denique in casu recto *Lundu* invenimus in ode antiqua monastica *Doct: Martini Borup de primariis Dania Civitatibus Strophe* 2.

*Tace Lundis rusticalis*  
*Nisi quid Ecclesia; (17)*

Tandem eruditibus nonnullis supra vulgus sapere gestientibus, extera & peregrina urbium antiquarum & celebriorum nomina adoptare & patriæ suæ oppidis assignare placuit, ut pro *Lunda*, *Lunda*, & *Lundis* jam *Londinum* ab Anglis mutuatum substituerint. Sic *Malmogiam* a Belgis *Ellebogen* appellatam latine *Anconam Scanorum* ob Littoris se hic inflectentis curvitatē, dictam

---

(12) Mssrt: de Antiquitatibus Scanicis; videatur quoque Dni Præsidis Dissert: de Monumentis Lapidariis p. 18.

(13) Rythmos hos ita latine redditos invenio in Diss: de Antiqua Urbe Lund cap. II. §. 1. (14) In Chorographia Scandinaviæ p. m. 9. (15) p. m. 205. 227. (16) Vid. Dan: lib. V. cap. 4. (17) Erii Pontoppidani Theatrum Daniæ veteris & modernæ Part. I. p. 454.

dictam fuisse, observat Proavus meus B. M. *Andreas Robeus*. (18) Sic verus oppidum Scaniae *Behe* vel *Behöf*, dictum fuit *Veii*, ab urbe *Hetruriæ* *Vejis*. Quis vero nomina adeo diversa moretur, quæ usus introduxit,

*Quem penes arbitrium est & jus & norma loquendi.*

Ad ultimum hoc mutuatum, at longe usitatissimum nomen, quo *Lunda* nostra *Londinum* Scanorum satura solet, subit mentem Epigramma Episcopi *Lundensis* D. D. *Petri Winstrupii* Epigr. lib. III. in *Londinum* Anglorum & Scanorum.

Urbs est Anglorum, *Londinum*, splendida magna;

Urbs quoque *Londinum* Danica, parva tamen.

Ut populo sic peccatis est illa referta.

Hæc scelerosa minus, nam-populosa minus,

Illam timet Nemesis divinam, Rege perempto;

Hanc sub Rege suo gratia dia manet.

Sunt illic Mercatores Domini, viget illic

*Emporium*: Hic Regis plus valet imperium.

Est *Vulgus* seu *Plebs* potior pars illius urbis,

Sed *Cleri* radiis urbs micat hæc meris.

Est illic *Thamesis* totam qui permeat urbem,

Fons licet haut purus Religionis ibi.

Limpidus heic *Israëlis* fons perfluit, heic est

Non *Thamesis*, sed Fons qui mage *Σαυμάσιος*.

Anglica terra suo *Londino* tota superbit

*Londino* parvo *Dania* magna suo.

ECCLESIAE. Anno MXII. Tempore regis *Sven Ot-*

F

tho-

---

(18) In Diss. de Scania Antiqua. p. 22.

monis Y. bifurcatæ barbæ jacta sunt prima fundamen-  
ta Hypogæi vel Cryptæ (19). Structuram Templi  
Cathedralis postea continuavit Sveno Estrithius ne-  
pos prioris; (20) licet non desint, qui a Knutone ma-  
gno id prius factum fuisse contendunt. (21) Memo-  
riam autem Svenonis magni Regis ad IV. Kalendas  
Mai celebrant Fasti Necrologici msc: in hunc modum:  
*Anniversaria Svenonis Magni, Regis Christianissimi, cujus in-*  
*dustria Dania in octo Episcopatus divisa est. Ipse primus*  
*Dabbensem Ecclesiam adificavit. Huic nostra Ecclesia duos*  
*mansus & dimidium dedit. Arnadal unum, Rutharum alter-*  
*rum. Tornæ dimidium.* Hanc Ecclesiæ nostræ institu-  
tionem anno MLXV. evenisse docet ill: Hwitfeldius  
(22). Svenonis Magni filius Canutus, Patris insistent  
vestigis multo augustiorem cœpit moliri basilicam,  
quam Pater aut Avus fecissent; de quo Canuto ita  
Cod: mscr: Bibl: Publ: habet: *Canutus Sanctus qui no-*  
*stram fundavit Ecclesiam MLXXXI.* opusque pertexit &  
anno MLXXXV. XII. Kal: Jun: regie dotavit; Cujus  
dotationis Diploma vide sis insertum *Tribus Ant: Mon:*  
*Hist: Lundensibus* (23). Sigillum vero, quo fidem Di-  
plomatis hujusce munivit, operæ pretium duxi heic  
inserere, cum & ad argumentum nostrum pertinere  
videatur, & præterea quasdam res hujus dissertatio-  
nis

---

(19) Jens Lauritzsen Wolfs Encom: Dan: p. 568. Hwitf: Chr.  
Episcop: p. m. 6. Hujus Hypogæi meminit quoque Saxo  
Gr. lib. X. p. 190. edit: Steph. (20). Ill: Hwitf: Chr: Ep:  
p. 49. it: Mess: sccond. ill. Tom: I. p. 88. (21) ill: Hwitf:  
Chr. Episc: p. 49. (22) Chron: Episcop: p. m. 48.  
(23) p. 20.

nls non nihil illustrare. Ita autem exsculptum Nobilissimo Peringskiöldio debeo (24).



Sigillum est duplici facie conspicuum, quarum una effigiem Regis coronati, in throno se-

dentis & dextra globum crucigerum sustentis, exhibet, cum hac in circuitu inscriptione:

PRESENTI REGEM SIGNO COGNOSCE  
CNVTONEM.

F 2

In

(24) Smea och Götha Konungars Ättar tabl p. 71. adde Hvitfeld: Chron: Episcop: p. 49.

In altera idem Rex coronatus, cataphrac-

tus sub-  
limi &  
genero-  
so ca-  
ballo in-  
fidens,  
dextra  
habe-  
nas, si-  
nistra  
falco-  
nem ge-  
rens re-  
præsen-  
tatur,



cum hac epigraphe :

**HIC NATVM REGIS MAGNI SVB NO-  
MINE CERNIS.**

Corruit autem Opinio Auctoris *Musei Regii Danici* (25) qui natum Regis magni, diversum faciat a Knurone, fingens contra omnium historicorum fidem, Knutoni filium nomine Magnum ; Cum Magni filium se non uno loco appellitaverit, ut supra indicavimus.

Lit-

Litteras autem dotationis, quæ in antiquo Codice membranaceo Bibliothecæ Publicæ jam existant, prope finem, ubi, de juribus, quæ sibi Rex reservavit; agitur, raras, corruptas & adulteratas esse, patet, cum ex accuratiori inspectione, tum collatione cum Apographis, Impresso a *Bartholino* edito(\*), & Manuscripto, ab *Olavo Baggero* Procuratore Generali Capituli, vidimato sive recognito.

Uterius Benefactores, opulentiam, Ornamenta, Vicissitudines, & quævis alia memorabilia fata nostræ Ecclesiæ heic commemorare, operæ quidem pretium fore, non multum dubito, siquidem præscripti huic dissertatiunculæ angusti hoc paterentur limites. Saltem non possum non heic observare, quemadmodum Lundenfes, ita etiam Upsalienses eundem sibi Patronum, Sanctum Laurentium Martyrem elegerisse, eidem Ecclesias suas metropolitanas consecravisse. Notatu etiam dignum est, quod Oppidum *Lunda Dismarsorum* etiam Templum habeat huic Martyri S. Laurentio dicatum, atque in insignibus una cum dimidia aquila Cratem (26). Quam ob causam vero, hæc nostra Lundenfis Ecclesia Cathedralis cum Monasterio, divo Martyri Laurentio dicata potissimum apud Auctores audiat; exposuit *B. M. And: Stobæus*; quod divi hujus nomine *Stipes* pro Templo hoc edificando per Germaniam, Galliam, Angliam & reliquum orbem Christianum colligeretur (27). Denique, ut non solum appareat curiosis, nostram Ecclesiam non suis, si Diis placet, caruisse

---

(26) Uti videre licet in *E. I. de Westphalen Mon: Inedit: Cimb: & Megapolitan: T. I p 47.* (27) In Dissertatione de Fabulis & Mythologia p 5. (\*) ad Chron: Archiep: Lundenfium Auctore Nicolao Archiep: Lund;

ruisse sanctis mercimoniis; (28) Verum etiam, ut simul pateat, quanta dignitate ipsa Lunda tunc, ejusque Archiepiscopus fuerit, non ingratum fore antiquitatū studiofis confido, ipsam *Dedicationis Historiam*, qualem illam conservat Liber Memorialis seu *Fasti Necrologici Eccl: Lund: mscr.* jam antea citati, ad finem hujusce Schediasmatis integram legere; de eodem actu legi insuper merentur, quæ habet *illustris Hrnstfeldii Chronicon Episcoporum.* (29)

DANORVM. Urbis nostræ antiquitatem, & multis retro seculis ante introductum Christianæ Religionis jubar, cum septentrionem totum plus quam Cimmeriæ occuparent idololatricæ tenebræ, inter præcipuas septentrionis urbes merito numeratam fuisse, sex diversis solidissimis argumentis, iisque, quæ obijci poterant, dilutis, egregie pro more suo monstravit B. M. *And: Stobæus* (30). Metropolis insuper, & sedis aliquando Regum Daniæ dignitatem, Lunda nostræ denegare, esset vim inferre testimonio omni exceptione majori, nempe Diplomati Canuti VI. quod anno MCLXXXVI. Dom: Incarnat: Canonicis nostris concesserat, ubi expressis verbis hæc leguntur: *Cum sederem in solio in civitate Lundensium, qua est metropolis Dania, pro disponendis Provinciarum negociis.* Sic etiam in descriptione Encæniorum Basilicæ hujus, expresse dicitur Lunda *Metropolis Dania.* Objiciat forte aliquis, Metropolim hæc sensu sumi Ecclesiastico. Cui autem respondere liceat notionem metropoleos Ecclesiasticam Politicæ natales de-

(28) De quibus etiam agit Dissert: de tribus Monum: Lund: p. 17. 25. 27: (29) In vita Eschilli Arch: Lund. p. m. 52. (30) In Dissert: de Antiqua Urbe Lund. Cap. II.

debere. In sigillo tamen nostro ita intelligi & pro Jurisdictione Ecclesiastica sumi, pluribus infra dicemus. In diplomate hæc obstant: Quod solium nominetur; Quod se provinciarum negotia curaturum Rex polliceatur; Quod nulla fiat mentio Sveonum, cum tamen eo tempore Archiepiscopus Lundensis revera Pontifex Metropolita Svethiæ esset, id quod Regem haud omissum, si sensu Ecclesiastico sumisset, admodum verisimile videtur. *Letra antiqua illa Regum sedes* (31) diruta jacuit. *Axelhusium* postmodum Hafnia, eo dignitatis nondum evecta fuit, ut solio regio digna haberetur. (32) Tantum itaque abest, ut Joh: Lyfcandro largiar, in sermone *de Antiquit. Dan:* disserenti: *Roschildia olim unica imperii Balthici & Danici Metropolis, quæ cum flarent Vires, Viginti & septem exhibuit Tempia augustiora & alias opes multas* (33), ut potius credam, ex hoc diplomate evinci, Lundam hujus dignitatis palmam Roschildiæ facere dubiam. Stant pro Lunda nostra *Aula Regia* in in urbe (34), *Sedilia Regis & Regina in Templo Cathedrali* (35). Tot diversa Diplomata Lundis data, Coronationes, nuptiæ Regales & alia ejusmodi, donec Hafnia Christophori Bavari tempore, eo virium ac dignitatis excrevisset, quæ postmodum sede regia exsultaret (36). Quemadmodum itaque sedis re-

---

(31) Inde Reges Letrenses apud Messenium in Scand: illustr: T. XIII p. 33. (32) ill. Hwitfeld: in Chron: R. D. passim. And. Hoyer Dänem: Geschichte p. 96. (33) citante Erico Pontoppidano in Theatro Daniae veteris & modernæ p. 96. (34) Illust: Hwitf. T. I. p. 213. (35) Idem: p. 245. (36) Erici Pontoppidani Theatrum Dan: Vet. & Mod; p. 22.

regiæ dignitas, Lundæ nostræ abjudicari nequit, sic Roschildiæ quoque suus apud nos constabit honos; quamdiu negari non potest, in uno regno binas aut plures metropoles aut urbes regias & primarias simul non nunquam existere.

**SWEVORVMQVE.** Mos istius seculi non infrequens erat, Regnis septentrionalibus varias regnorum longius remotorum appellationum formas inducere. Sic observante Reverendissimo Ep: *Erico Benzelio* (37) Angli Sveones nostros *SUANOS* appellarunt. Fuisse alias nostrates, *Suiones*, *SMAONES*, *SWANONES*, *Svecones*, *Sveones*, *Svenones*, *SUANOS*, *Suenos*, *SWatenos* dictos, monet idem ille Polyhistor (38). Sic Daciam pro Dania non raro legimus in Diplommatibus Regiis, ex gr. *Erici Pomerani* An: MCDIII. *ERICUS DEI gratia DACIA Rex.* (39) Alias in vetustioribus mediæ ævi actis, Nostrates sese, Reges Sveorum, appellarunt, ut exempla apud Nobil: *Peringskiöldium* docent. (40) An vero Svevorum prima Patria fuerit Sveonia? non nostri fert instituti ratio operose disquirere; cui vero volupe fuerit, adeat, quæso, summum & ingeniosissimum Antiquarium *Rudbeckium*, nec vacuus sine erudita informatione ab eo discedet (41); sed Svevorum, in hoc sigillo, sine dubio mentio est facta, ad vindicandum sedi Lundensi jus aliquod eminens in Archiepiscopum Upsaliensem ejusque Diœcesin, quod pluribus jam infra deducetur.

ME-

---

(37) Notæ ad Västov. p. 27. (38) Commentarii in Histor. Sveo-Goth: mscr. Lib. I. cap. 3. (39) Confer: *Diarium. Vadstenense* p. 37. (40) in Mon: *Upland.* p. 164. & seqq: (41) *Atlanticæ* T. I. cap. XXIV. pag. 576. & seqq.

Rege Svenone Eſtricio, de quo teſtimonium Codicis Capit: Membr: ſuperius allatum. Henricum vero an Eginum Lundæ noſtræ præficiamus, diſſentientibus ſcriptoribus, quorum alii Saxonem lib.XI. p. 205. ed: Steph: ſecuti (46), Eginum primum Epiſcopum Lundensem; Alii (47) Adamum Bremenſem, Henricum non Dalbyenſem, ſed Lundensem faciunt; optime nos inſtruit Codex membranaceus jam antea ſæpe citarus in Faſtis Necrologicis ad XII Kalend: Sept: ubi hæc: *Commemoratio Godeboldi & Bernhardi Epiſcoporum & Henrici, qui fuit primus noſtræ Eccleſiæ Epiſcopus. Quid de Godebolde & Bernhardo his, a quibusdam aliis quoque tanquam Epiſcopis Scaniz nominatis, ſit ſentiendum? (48)* præter Adami Bremenſis teſtimonium (49) huiusce-modi: *In eadem regione, Sconia nemo adhuc (ante Eginonem Dalboienſem & Henricum Lundensem) Epiſcopus fuit inſignitus, niſi quod ab aliis partibus quidam venientes, interdum illam procurabant Diœceſin.* videſis ſæpius citatam Diſſertationem de *Tribus Antiquis monumentis Hiſtor. Lundensibus*, ſub moderamine Præſidis mei heic habitam (50). Mortuo Ricwalo Eginonis ſucceſſori & tertio Epiſcopo Lundensi ſufficitur Aſcerus filius Svenonis Trugunidis vel Torchilli, uti alias quoque nominatur, procerum Regni Daniæ cujuſdam maxime ſpectabilis & illuſtris. Licet vero Codex noſter mem-

---

(46) Magnus Mathiz in Serie Epiſcop. Lund: p. 14. Hwitfeld in Chr. Ep. p. 48. J. Laur: Wolf: Encom: Dan: p. 577.

(47) Vid. Eſchved. Bibl. drittes Etück p. 185.

(48) Ibid. p. 184. (49) Chorograph; Scand: a Meſſenio edit: p.m. 7. (50) p. 7.

membr: hunc Ascerum non uno loco Archiepiscopum appellitēt (51); Sunt tamen, qui dubitant, an unquam fuerit Archiepiscopus (52); Sunt, qui de anno ejusdem Archiepiscopatus mirifice dissentiant (53). De annis vero ejusdem Episcopalis muneris & Archiepiscopalis nec convenit (54); Interim veritati maxime congruum videtur, illum Anno MLXXXVIII. infulam Episcopalem obtinuisse, sed demum anno MCIII. Archiepiscopali dignitate ornatum fuisse. (55) Hoc tamen inter quam plurimos constat, ante hunc, Episcopos Scandinaviæ intolerabili Bremensium Antistitum jugo subjectos fuisse. De quo negotio hunc in modum verba facit Joh. Messenius: *Anno MXCVIII. Ericus Bremense metuens fulmen, illius antevertit vibrationem ad Romanum apellando Pontificem, illucque profectus, suum excusat facinus; arrogantia incusat Liemarum & humiliter postulat, ut Dania ab intolerabili Bremensium jugo antistitum tandem liberetur. Paulo post ad annum MCVI. Modo etiam, inquit, Paschalis II. Romanorum Archimysla tandem assiduus Danorum inclinatus precibus Archipræsulem flagitantium peculiarem, Cardinalem ablegat in Daniam Albericum; Is eo perveniens, Lundiam huic dignitati ceteris re-*

- (51) Dissert. jam cit: p. 24. (52) Hist: Eccl: Sveo-Goth. Nob: Oernhielmii Lib. IV. & Ol. Rosenii Tractat: Juris Pub: de Episcop: Regn Svion: Romano Catholicis p. 23. in notis (53) Oernhielm: Hist: Eccl. p. 331. & seqq: (54) Vid. Conf: Nettelbladt in notis ad Catalog: Præsul: & Pontif: Lund: der Schwed: Bibliothec drittes Stuck p. 186 (55) Monum: Benzeli: p. 81. nec non Chronicon vulgo Er. Pom: adscriptum, cum quibus conferenda sunt, quæ habet. Fasti jam antea citati ad diem XIV. ante Kal: Dec.

gni urbibus commodiorem deprehendit, ac ipsam proinde Metropolim Dania constituit dominamque reliquarum VIII. cathedralium Ecclesiarum, primo illi Archiepiscopo Aspero deputato; Cui successoribusque quapiam simul Norvegia, non Suecia demandata fertur inspectio ac protectio. Sic Dania & Norvegia pervetusta Hamburgensium ac Bremensium Antistitum subducuntur jurisdictioni (56). In notando anno, vix non credo Messenium alucinatum fuisse, cum melius in Annum MCIII. & proxime sequentem hæc quadrent, ut alia monumenta historica testantur. Hanc etiam in Svethiæ Regnum inspectionem, Aspero a Messenio denegatam, vindicant eidem Saxo (57) & omnes, qui eundem sequuntur Scriptores Danici, Joh. Meursius (58); Hwitfeldius (59); Jens Laurits Wolf (60). Nicolai Arch. Lund: Chronicon E. L. p. 3. Anno 1104. pallium Aspero missum fuisse, ait, cujus tenor talis fuerit: *Paschalis Episcopus Servus Servorum DEI &c. Procurante Illustrissimo Rege Danorum Erico Egoth, Duce Estonie & Domino Nordavingiæ, Reverendissimo in Christo patri ac Domino, Domino Aspero Lundensi Archiepiscopo Suecia Primati.* Sed neque hæc Papæ Bulla a censura immunis est (61). Plura autem, qui de prima Lundensis Archiepiscopatus institutione scire avet, adeat Auctores supra citatos. Cæterum, fluctibus scriptorum de Primatu Lundensi in Svethiam disputantium, non adeo temerarius sum, ut cymbulam ingenii mei committam

- 
- (56) Scand: illust. T. I. p. 92 & 93. (57) Lib. XII. p. m. 227.  
 (58) in Hist. Dan: cit: Nobil: Oernhielmio in Hist. Eccl: p. 382. (59) in Chron. Ep. p. m. 51.  
 (60) Encom: Dan: p. 582. (61) Ol. Ros. Tract. de Episcop: Svionici Romano Catholicis p. 23, in notis,

institam. Interim variæ afferuntur causæ instituti Primatus Eschilli, quæ videri possunt apud Saxonem. (63) Messenium (64). Benzelium (65). Celsium (66). Wildium (66) Hwitfeldium (67). Rosenitum (68). In quo potissimum constituterit Primatus Lundensis, ad prime nos instruunt Bullæ Papales Alexandri III. ad primum Archiepiscopum Upsaliensem Stephanum, anno MCLXIII. ubi hæc inter alia leguntur: *Statuimus, ut sicut Tu de concessione & mandato nostro consecrationis munus a Venerabili Fratre nostro Lundensi Archiepiscopo (Eschillo) suscepisti, ita & successores Tui ab eo & a successoribus suis consecrationem debeant absque ulla contradictione recipere & tanquam proprio Primati obedientiam & reverentiam exhibere* (69). Innocentii III. ad Archiepiscopum Lundensē: *Andream Sunonis* Año MCCI. ubi apparet inter alia: *Primum Lundensibus Suecia confirmatum fuisse a Prædecessoribus Innocentii, Adriano, Alexandro, Lucio, Urbano, Clemente & Celestino; Quorum & præcipue Hadriani IV. vestigiis inherens Innocentius constituit, quod Lundensis Archiepiscopus, qui pro tempore fuerit super regnum illud, primum semper obtineat &c. ut videlicet is, qui per Lundensem Episcopum Metropolitanus in regno Suecia fuerit institutus,*  
gra-

- (62) Lib: XIV. p. m. 263. (63) Scōnd: Illust: T. II. p. 2. & 3.  
(64) Comment. mscr. de rebus Sveo-Goth: Lib: V. cap XVII.  
(65) Chron: incert: auct: edit: & illustrat: à D. Ol. Celsio p. 17 & seqq. (66) Svec: Hist: Pragm: Cap: III. Sect: II. §. 21.  
(67) Chr. Episc: D. p. 51. (68) Tract: Jur. P. de Ep &c. p. 23.  
(69) Bulla hæc integra habetur apud Oernhielmium in Hist: Eccl: Sv. G. Lib: IV. c. V. p. m. 482. item Monument: Upl: Nobil: D:ni Peringlk: p. 164.

*gratiam consecrationis per manum Archiepiscopi Lundensis adeptus, ipsi & Lundensi Ecclesia, salva fidelitate Romana Ecclesia, fidelitatem & obedientiam juramento (70) promittat. Pallium sane totaliter consequetur: Nuncius Lundensis Ecclesia cum nuncio illius Ecclesia pro impetrando Pallio ad Ecclesiam Romanam accedant, & cum illud a Romano Pontifice impetraverint ad Lundensem Ecclesiam reportabunt. Lundensis autem Archiepiscopus illud accipiens, Archiepiscopo Suecia tribuet & fidelitatem & obedientiam Romana Ecclesia jurejurando promittet. Metropolitano vero ibi ad honorem DEI & decorem domus sue salutemque fidelium constituto, Lundensis Archiepiscopus & dignitate Primatus in perpetuum praesidebit, & ipse obedientiam & reverentiam ei tanquam suo Primati humiliter exhibere curabit & reliqua (71). Horum ideo Pontificum Romanorum mandato parentes Upsalienfes: Stephanus (72) Johannes I. (73) Petrus I. (74) Olaus I. Zambatinga (75) Valerius (76) Olaus II. (77) Jerlerus (78) Laurentius (79) Folcho (80) Jacobus (81) Magnus (82)*

Olaus

- 
- (70) Juramenti hujus Formula habetur apud Joh: Messenium Scand: ill: T. XII. p. 79 & 80.  
 (71) vid: Integram Bullam apud Hwitfeldium Chr. R. D. T I. P. 168. (72) Joh: Peringskiöld: Monum: Ulleraker. p. 129. (73) Messen: Scand ill: Tom: XII. p 77.  
 (74) Monum: Ullerak p. 130. (75) Messen: l. c. item Er. Benzeli: Comment: in Hist: Sveo Goth: mscr. Lib: V. cap: XVII. (76) ibidem (77) ibidem apud Messenium.  
 (78) ibidem apud utrosque (79) Monum Ulleraker. p 134.  
 (80) Messen: Tom: XI. p 77. Scand: ill: dissentit Rever. Benzelius in Mon: Ecclesiast: p. 200 & 201. item Nob: Peringsk: in Monum: Ullerak p 135. (81) Monum: Uller: p. 136. (82) ibidem p. 138.

Olaus sapiens (83) *Lundis ferme benedictionem & pallium ex urbe per nuncios utriusque Ecclesiae, ut loquitur Messenius (84) acceptarunt.* Hunc titulum Primatus Sveciae, ferventibus licet de illo quam maxime diffidiis, inter sedem Lundensem & Upsaliensem, non ipsi Sveciae Reges in literis publicis, nostris Archiepiscopis denegarunt, uti jam supra citata Diplomata Magni Erici filii, **Emet** dicti, ejusque filii Erici satis superque testantur. Male autem &, ut jam antea notavimus, arroganter Archiepiscopi Lundenses se vernacula lingua **Sveriges Förster** (85) appellarunt, quod Sveonibus ansam videretur dedisse, *lento gradu, prudenter tamen colla jugo Lundensium subtrahere, quod Upsalienses aequo animo ferre potuissent, nisi & Reges Dania hoc Lundensium Primatu in Suetbia regnum juris ac prerogativa prae-textum,* ut differit Reverendiss: Episc: Benzelius (86) *quasivissent.* Postquam Pontifex Romanus Upsaliensibus quoque Primatus titulum concesserat, quo, quantum comperi, primus usus est Anno MCDLXII. Johannes VI. de Salestad, (87) & licet nihilominus Lundenses diu postea vano hoc titulo sese titillarint, nimirum Johannes Brochstorpius & Birgerus, observat Messenius: *Ob excussum jugum Lundensium, in sempiternam tanti beneficii memoriam, toto Svecorum imperio, quartam nativitatis & resurrectionis Dominicae ac destinati calitus Paracleti feriam equali cum prima celebrari annuatim festivitate, praeter aliarum consuetudinem*  
Gen-

---

(83) *ibid:* p. 143. & Mess. Scand: ill: Tom. XII. p. 79.

(84) Scand: ill. T. XII. p. 77. (85) Messen: Tom: II. p. 4. item Hwitf. Chr. Regn. D. T. I. p. 168.

(86) in Monum: Eccl: p. 202. (87) vid Ol. Celsii Not: ad Chron: incerti auct. p. 23.

*Gentium* (88). Quod ad suffraganeos hujus Primatus attinet; sciendum prius est, suffraganeos eosdem dici; *Qui aut Metropolitano subiecti sunt; aut a Metropolitano ad Synodum vocati, suffragii jus habent; aut quia absque Metropolitano consecrari nequeunt; aut Metropolitanorum Coadiutores in consecrandis Episcopis, quod soli facere non possunt Metropolitani* (89). Præter perpetuos igitur illos Metropolitano Lundensi subiectos *Roschildenses, Slesvicenses, Ottonienses, Ripenses, Arhusienses, Viborgenses, Borglumenses*, (90) invenimus etiam *Revalienses, Dorpatenses, Curlandos*, aliquando Archiepiscopo Lundensi ut Metropolitæ paruisse (91). Sic magnæ illi synodo, quam Lundæ nostræ celebravit Eschillus Archiepiscopus Anno MCXL. Sveciæ, Daniæ & Norvegiæ Episcopi interfuerunt (92). Quinam Eschillo huic templum cathedrale consecranti adstiterint, apparet apud Hwitsfeldium (93); nec non in Dedicationis historia ad calcem addita. Stephanus vero primus Archiepiscopus Upsaliensis & Helgo Opsloensis in consecratione & translatione Canuti Ducis Slesvicensis & Obotritorum Regis, Ringstadii Anno MCLXX die XXV Jun: eidem Eschillo adfuisse quoque dicuntur (94). Quid de sede Wexionensi sit sentiendum, & num sibi illam, tanquam obsequendi jure, reddi obnoxiam allaborarit Præsul Lundensis; videantur Nobiliss: Oernhielm (95)

&

(88) Scond: Ill: T. II. p. 84. (89) Caroli du Fresne Glossar. lat. mediæ & infimæ ætatis Tit. suffrag. T. III.

(90) ill: Hwitsf. Chr. Ep. Dan: p. 6. (91) Ejusd. Chr. R. D. T. I. p. 185. 207. & alibi

(92) Ejusdem Chr. Ep. D. p. m. 52. (93) ibidem.

(94) ibidem p. 55. (95) Hist. Eccles. Lib: IV, cap. V. p. 490

& Reverendiss: Episcopus Doct: Er. Benzelius (96). Anno MCCCXV. Magnus Vexionensis Episcopus apud Messenium (97) *notum facit & testatur: quod praesentialiter adstiterit Lundis, consecrationi & confirmationi Olai Upsaliensis in Archiepiscopum ab Esgero Lundensi consecrati.* Id autem verissimum est, in bulla Alexandri III. superius citata, ubi enumerantur suffraganei Archiepiscopi Upsaliensis, omnino desiderari Præsulem Vexionensem. Hæc omnia, ut spero, fatis produnt quid METROPOLIS in Sigillo involvat.

Tab: II. Fig: 2. Sigillum sistit majus, quo nunc utitur sacrum Synedrium Lundense, cujus hæc sit descriptio: Crates circulo concinne elaborato inclusa cum epigraphe: **CONSISTORIUM. ECCLESIASTICVM. LVNDENSE.**

Hujus ætatem non ascendere crediderim supra foundationem Vniversitatis Carolinæ, quæ in locum Capituli Anno MDCLXVIII. successit (1). Nam ab illo minori, quo antea usum est Collegium Canoniorum, nisi sola hac inscriptione: S. CAPITVLI LVNDENSIS parum differt. Hoc autem *summi vidi*, ad apographa Privilegiorum Capituli Lundensis, confirmavit Olavus Baggerus, tunc Procurator Generalis Capituli, deinde Rector hujus Vniversitatis Magnificus primus & Theol: Professor. Minus vero Sigillum

H

Con-

(96) Mon: Benzeli: p. 191. & 192. (97) Scand: Illust: Tom. XII. p. 79.

(1) vid: Regiæ Acad: Lund: Historia a prima ejus ætate: Auctore Nobilissimo & Celeberr. Doct: & Prof: Joh: J. von Döbeln.

Consistorii hodiernum repræsentat: Flammas hominem quendam crati injectum depascentes, quem divum esse Laurentium Literæ minuscule *S. Laurent.* indicant. Epigraphè talis est SIGIL.: CONS.: ECCL.: LVND.:

Fig. 3. ejusdem tabulæ, adhuc aliud ad Consistorium Ecclesiasticum pertineris Sigillum adumbrat, in quo Divus Christophorus pedes fluctibus immersus, humero Christum, manu integram arborem, frondentem, radicibus evulsam gestans, qua se tanquam baculo fulcit, conspicitur cum tali inscriptione: SIGILLUM. SINODALE. PREPOSITORVM. SCANIÆ. Huic insignem aliquam ætatem Sigillo adscribere, eo minus licet, cum acta sacri hujus Confessus inspicere non vacaverit; e charagmate tamen probabilem facio conjecturam, illud vix Sigillum Consistorii jam descriptum antiquitate insigni excedere. Quid causæ vero subfit, cur Præpositorum Scanix Sigillo, Symbolum Christophori sit insertum, is optime novit, qui quanta cura & animi robore hoc munus sit administrandum pensitaverit. Figuram S. Christophori hoc modo explicat Moreri (1): *L' Histoire est que Saint Christophle etoit grand, & qu' allant ordinairement avec un baton, il convertit plusieurs Infideles, à la vie de ce baton, qui reverdit & porta des feuilles & des fleurs. Le Symbole est, qu'il avoit une grande ame, qu'il a marché à pas de Géant dans*

---

(1) LeGrand Dictionnaire Historique &c. Tit. St. Christophle.

*dans la predication de l' Evangile , qu'il a porté JEsus Christ dans les pais infideles parmi les Tempetes & les flots des persecutions , & que sa fermeté representée par son baton n'a jamais perdu sa vigueur &c.*

**Figur. 4.** Ejusdem quoque Tabulæ fittitur: **Frontispicium occidentale Templi Cathedralis S. Laurentii, duabus turribus conspicuum, quarum tamen & altitudo & figura non parum ab hodierna differt, superius apparet scriptum LVND, inferius 1615.**

Hunc typum Lapidis arenario insculptum & in campis suburbanis extra portam borealem inventum Museum Præsidis asservat. Verisimile equidem est, tale tunc temporis Civitatis nostræ fuisse Sigillum, quamquam magnopere differt hoc ab illo, quo nunc Magistratus urbis utitur; in illo enim tres turres muro junctæ, quarum media sub qua porta patet, reliquis duabus major est & excelsior, conspiciuntur cum hac epigraphe: **SECRETVM: CIVITATIS: LVNDENSIVM: 1646.**

Hanc vero dissimilitudinem prioris ac posterioris Sigilli, vix non opinor incuriæ & lubidini sculptoris acceptam esse referendam, cum sic nostrum cum permultis oppidorum aliorum Sigillis apprime conveniat. Quod vero diversa Templi Cathedralis structura ab hodierna in lapide isto exhibeatur, ubi geminæ humiliores turres, non tam mutationi alicui,

cui occasionem præbere potuit reedificatio, post magna illa incendia, quæ diversis temporibus maximam urbi nostræ cladem induxerunt, adscribere sustineo. Quamvis enim tot clades & ruinæ antiquæ hujus urbis fuerint, ut illa facile quis enumerare nequeat, cum fatale videatur, ut quotannis fere furat immixtis Vulcanus habenis. Tristissima tamen illa videntur incendia, quæ apud auctores commemorantur; *Chronologia Vetus* hæc habet: MCCXXXIV. *Lundis combusta*. (1) de quibus etiam videantur Ill: Hwitsfeldius (2). Messenius (3). *Andreas Stobæus* δ̄ μανάκιτης (4). Cum tamen nulla antiquitatis monumenta, quantum quidem adhuc pernoscere licuit, excelsas adeo tures, quales hodie habent hæ ædes Sacræ, commemorent; cuilibet autem consideranti facile pateat, dimidiam superioremque harum turrium partem esse aliis atque recentioris operis; crediderim potius templum hoc, hanc induisse faciem sub magna illa reparatione, quæ aliquot post initium Seculi XVI. annis dirigente *Adamo van Duren* cœpta fuit & peracta. Cum porro Titulus Dissertationis Sigillorū Lundensium recensionem promittat, & ne videar nimis in servandis promissis Lectoribus meis defuisse, jam quoque Almæ Vniversitatis Carolinæ ejusque Facultatum Sigilla mihi sunt adumbranda; in hisce tamen cum nec antiqua sint nec adeo ignota, brevitati forte non ingrata inprimis studere mihi licet. Sit itaque primo descriptio Sigilli ipsius *Academia* talis:

- (1) Monum. Benzef p. 16. (2) Chr. R. Dan: T. I. p. 199. (3) Scand: Illust: Tom. II. p. 10. 30. 64. (4) In Dissert: de antiqua urbe Lund cap. I. §. XI.

Leo coronatus, pavimento incubans testelato, dextro pede gladium strictum gerens, sinistro librum apertum attrectans, cum lemmate: AD VTRVMQVE. Tres vero pone cervicem jubatam Coronæ conspiciuntur, quæ omnia Circulus ambit, cum hac inscriptione: SIGILLVM. VNIVERSITATIS. GOTHORVM. CAROLINÆ.

Minus Academiæ Sigillum magnitudine tantum ab hoc differt.

Maxime Venerandam Facultatem Theologicam alio uti Sigillo, quam majori Consistorii Ecclesiastici, nondum comperi.

Sigillum Consultissimæ Facultatis Juridicæ, Leonem erectum, dextro ungue gladium evaginatum, sinistro libram ostendentem cum lemmate: SVVM CVIQVE, talique inscriptione: SIGILLVM. FACULTATIS. JVRIDICÆ. IN. ACAD. GOTH. CAROLINA. representat.

Experientissimæ Facultatis Medicæ Sigillum historiam exhibet ex *A. Gellii noctibus atticis lib. V. cap. 14.* de Androclo leonis Medico pedem grati hospitis spina liberante & curante, addito lemmate in basi: DEVS CREAVIT MEDICVM. & inscriptione: SIGILLVM FACVLTA-  
TIS MEDICÆ,

Celeberrimæ Facultatis Philosophicæ Sigillum  
Leo erectus Rhombum vel speculum manui  
fulgur trifidum e nubibus ostendenti obver-  
tens, cum epigraphe: SIGILLVM. FACUL-  
TATIS. PHILOSOPHICÆ.

Ultimo tandem unicum adhuc Lundense, quod  
restat, addam. Fuisse olim in sanctorum memori-  
piam & sodalium adiutorium mutuum, Fraternitates  
& sodalitia quam plurima instituta, quæ lingua Dane-  
rum dicebantur *Gilde* & loca vel hypocausta, ubi tales  
agitabantur conventus Fratrum, *Gildestuer*, satis equi-  
dem notum reor (1). Talia heic in Scania imprimis  
celebrata sunt illa sancti Canuti convivia *Knut's Gilde*.  
Occiso enim Cnutone quarto anno MLXXXVII. Or-  
toniæ (2) inque numerum sanctorum an: MC. rela-  
to (3). Protomartyris hujus Regis memoriæ sodalitiis  
ejusmodi institutis recolere voluerunt majores nostri.  
Sic *Ottoniæ* & *Ripæ* Danorum satis celebria fuerunt  
Convivia Sancti Canuti. Scaniæ nostræ oppidis ple-  
risque sua neque defuerunt. ex. gr. *Scanora* cujus Con-  
vivii Statuta anno MCCLVI. scripta leguntur. Quod  
Convivium licet hodie amplius non sit, sed pridem  
ibi desierit & Malmogiam deductum putetur, pro-  
prium cum statutis habuisse Sigillum, admodum ve-  
risimile videtur; ut mirer Illustriss. Hwitsfeldium di-  
cere potuisse Petrum Pagh Episcopum Ottoniæ circa  
an-

(1) Conf: Museum Reg. Dan: Part. II. Sect. III. no. 97.

(2) Hwitsf: Chr. D. T. I. p. 91. (3) Ejusdem Chron: Episc:  
p: 37.

annum MCCCXXXIX. imaginem S. Canuti primo  
in Sigillo suo tulisse, cum rythmo monastico:

*Rex Canute DEI, quasô memento mei (4)*

Fraternitas illa Malmogiensis, ut nunc frequen-  
tissima, ita gloriosissima, quippe quæ non modo mul-  
tos primarios regni cives utriusque sexus, verum  
etiam Reges & Reginas in Fraternitate sua numerat.  
Sua quoque statuta & privilegia hæc habet, nec Sigillo  
caret proprio, in quo conspicitur: *Rex coronatus solid*  
*insidens regio, dextra sceptrum liligerum, sinistra globum cru-*  
*cigerum gerens, Luna & astro seu Sole utrumque latus affulgen-*  
*tibus, cum epigraphæ monastica: S. CONVIVII: SANCTI*  
*KANVTI. DE: MALMOEHE; Eysladium & Corona sua*  
quoque habent convivia. Epigraphæ Sigilli Convivi  
Coronienfis ita in *Museo Regio Danico* legitur SIGIL-  
LVM: FRATERNITATIS: SANCTI: CANVTI:  
LANDESCRONE: IN SCANIA (5).


En vero Tibi Lector, quo hodierna Fraternitas  
Lundenfis utitur, Sigillum. Hoc uti extypo patet  
parum vel nihil differt ab illo Sigilli Malmogiensis,  
nisi ruditate cum operis, tum inscriptionis, quæ mo-  
nasticis elementis exarata in circuitu talis est:

Si-

---

(4) Chron. Episc. Dan: p. m. 40. (5) Part. II. Sect. III.  
n. 97.

SIGILLVM:  
CONVIVII:  
SCE: KANV-  
TE: IN: TV-  
MATHORP:  
Ex ignorantia  
latinitatis il-  
lius, qui in-  
scriptionem  
adornavit, ex  
cælatoris in de-  
signandis figu-  
ris arte pror-  
fus agresti &



rudi; ex loco denique ibidem nominato, fatis evidens  
erit, hoc Sigillum ad barbara monachorum tempora  
& seculum forte XV. referendum esse. *Tumathorp*  
vero idem esse, quod apud Hwitsfeldium (6) *Somernp*,  
quem nunc pagum non longe ab urbe Cimbrishamn  
Nomarchiæ *Jarlstad*, Parochiæ *Gladfar*, Civitatem  
quondam fuisse, ex loco citato Hwitsfeldii liquet; Mo-  
nasterium etiam habuisse Cisterciensium Ordinis Be-  
nedictini, Messenius (7) docet. jure autem Civitatis  
amisso, existimarim hoc Convivii in Tumathorp Si-  
gillum postmodum esse Lundam deductum, Convi-  
vi-

(6) Chron: Episcop. D. p. m. 48. (7) Sccond: Ill: T. IX, lib.  
V. p. 80.

viuque nostrum uſum pro ſuo; quo demum vero tempore id ſit factum, nec exquirere potui, nec operæ pretium duxi. Habet Fraternitas Lundenſis ſua ſtatuta, fundos & prærogativas, documenta vero antiquiſſima, bello Scanico inter Reges Sveciæ Carolum XI. & Danorum Chriſtianum V. furente, dicuntur ablata & diſtracta eſſe, & forte etiam tum Sigillum genuinum: Quæ ſi etiamnum haberentur, dubiam fortasſis ætatis palmam cæteris Scaniæ Conviviis faceret noſtrum. Cum vero jam ſuperius dictum ſit, Fraternitates ejusmodi ad recolendam piam Sancti Canuti memoriam eſſe inſtituta; quærere lubet: Num urbs aliqua Scaniæ de pluribus ſibi a Rege hoc ſancto collatis beneficiis gratulari potuerit, adeoque majorem recolendæ memoriæ ejusdem habuerit cauſam quam Lunda noſtra? Quid? quod urbs noſtra Scaniæ antiquiſſima, & Daniæ quondam Metropolis, ut opibus florentiſſima, ita in cultum Sanctorum maxime prona, ſancti Canuti Benefactoris ſui liberaliſſimi non videtur oblita. Pau- ciſſima verba heic adjicere lubet de aſtro illo ſeu ſole atque luna, quæ comparent cum in Malmogiensium in Tumathorpenſi Sigillo S. Canuti, atque ſæpius in numis noſtris; Aut illa meri luſus calcographorum dicenda, aut iisdem hieroglyphici quid ineſſe crediderim; vel enim ſignificant beatum hunc martyrem jam æterno frui conſortio cœlitum, & ſolem lunamque ſanctitatis ſuæ ſplendore longè ſuperare; vel ut ſymbola Eccleſiæ hujus Metropolitanæ poſita, reſpicere notam illam fabulam Vulgi de Sancto noſtro Laurentio, ſolem & lunam mercedis loco Giganti *Fin* pro ſtructura Templi Cathedralis paciſcen-

te. Fabulam effarrat Jens Lauritzen Wolf 787. Sen-  
sum vero ejusdem ingeniose pro more eruit Prof. An-  
dreas Stobæus (9).

Præterea Lundæ nostræ vigens hodiernum Fra-  
ternitas *Beata Maria Virgini S. Laurentio & S. Brigide*  
dicata, quæ vulgo jam *Galte Gillet* appellari so-  
let, Fratresque *Galte* vel *Kalendæ Bröder*, proprium  
etiam suum habuit Sigillum, sed quod jam pridem  
deperditum est. Privilegia huic Convivio data ab  
Archiepiscopo Birgero adhuc conservantur. Quod si  
hæc Fraternitas *Galte Gillet* dicenda; nomen videtur  
sortita a Præposito vel membro honoratiori Sodalitii,  
cui nomen *Galt*; Nomen hoc fuisse Virorum apparet  
ex Fastis Necrologicis Capituli nostri, hoc modo:  
*VI. Kal. Julii Galt Monachus S. Mariæ & S. Petri Lun-*  
*dis* (10). Si *Kalendæ Gillet*, forte a *Kalendis*, quibus  
fratres olim convenire & genio indulgere solebant.  
Vellem sane plura de hac Fraternitate & hoc sodali-  
tio Lundensi, si brevitatis propositæ Limites transi-  
lire liceret, differere. Optime tamen Plur. Rever.  
Dominus *Petrus Sonberg* ad Sacras ædes S. Laurentii,  
nec non Hospitale Spiritus Sancti, quod olim D.  
Georgio dicatum erat, V. D. Minister Vigilantissi-  
mus, sodalitii hujus Procurator spectatæ fidei & so-  
lertiae, ut antiquarum rerum studiosissimus, ita &  
optime gnarus, pro summa qua est humanitate cu-  
pi-

(8) Encom: Danicæ p. 568. (9) In Dissertatione de Fabu-  
lis & Mythologia p. 25. (10) Plures observationes vi-  
desis in Tribus Monumentis Lundensib: p. 37.

pidos harum rerum facile instruet; cui etiam, ingenue fatemur, nos debere, quæ heic de hoc sodalicio commemoravimus.

*Dedicatio Ecclesie Lundensis e codice membranaceo  
Bibliotheca Publica.*

**A**nno ab incarnatione Domini M.C. XL. V. Indictione VIII. dedicata est major Ecclesia in civitate Lundensi, quæ est metropolis Danie in Kalendâ septembribus a venerabili ESCHILO Danorum Archiepiscopo, assistantibus simul & auxiliantibus Herimanno Sleswicensi, Gislone Oestgocia, Oethgrimo Westgocia Episcopis in honore beatæ Mariæ perpetua virginis & sancti LAVRENTII eximii Martyris. Ipse enim prefatus pontifex per se ipsum majus altare dedicavit & Sanctorum reliquiis, quorum nomina infra scripta sunt, decoravit. In primis de ligno dñi. De capillis & uestimento matris dñi. De capite sc̃i. Johannis baptista. De barba Petri Apostoli. De sanguine S. Pauli Apli. Reliquia Sci. Jacobi Apli. Johannis Apli & Evangelistæ. Thomæ Apli. Jacobi fratris dñi. Philippi Apli. Bartholomæi Apli. Mathei evang. Tadei Apli. Mathie Apli. Barnabæ Apli. Reliquia sci. LAVRENTII Martyris & de carbonibus ejus. Stephani Papa & MR. Calixti pp. & MR. Pontiani pp. & MR. Fabiani pp. & MR. Dionisii epi. & MR. Sebastiani MR. Victoris MR. Pantaleonis MR. Quintini MR. Romani MR. Ypoliti MR. Agapeti MR. Nicomedis MR. Cesarii MR. Juslini pueri & MR. Christophori MR. Marcelliani MR. Cyriaci MR. Cassiani MR. Albini MR. Smaragdi MR. Theodori MR. Zenonis MR. Marciani MR. Oswaldi Regis & MR. Nigri MR. Felicis in Pineis. Johannis & Pauli martyrum. Marcellini & Petri MRM. Gervasii &

& Prothasii MRM. Nerei & Achillei MRM. Theodorū MRM. Cosma & Damiani MRM. Silvestri pp. & confessoris. Leonis pp. & conf. Damasi pp. & conf. Paulini epi. & confess. Hilarii epi. & conf. Augustini epi. & conf. Seneri conf. Alexii conf. Benedicti abbatis. De pollice Sca. Agnetis MR. De femore Sca. Eutropia MR. Cecilia MR. Agatha MR. Juliana MR. Sca. Afra MR. Margareta Virginis. Christina Virg. Sanctarum XII milia Virginum.

Altare autem dextrum in eadem ecclesia dedicavit Dominus Gisle Liungacopensis (Oestgocia) episcopus eodem die & anno in honore sanctorum martirum Vincentii & Albani, inpositis eorum reliquiis & aliorum sanctorum, quorum hac sunt nomina. De sanguine sancti Vincentii MR. Reliquia sancti Albani MR. De sanguine sci. Leodegarii MR. Lamberti epi. & MR. Pancratii MR. Kiliani MR. Rufi MR. Mauricii MR. Quadraginta MRM. Crisanti MR. Birgini epi. & conf. Barbara Virginis. Felicula Virg. Daria Virg. Walburga Virg. Nympha Virg. & MR.

Anno incarnationis dominica M.C.XL. VI. Indictione VIII, in Kal. Sept: dedicatum est altare sinistrum ejusdem ecclesia a venerabili Eschilo Lundensi Archyepiscopo. In honore sci. Stephani protomartiris & sci Mauricii MR. Continentur in eo reliquia sanctorum, quorum infra nomina scripta sunt. De capite sci. Stephani protomartiris & de sanguine ejus. Reliquia sci. Mauricii MR. De gutture Sci. Candidi MR. Sci. Victoris MR. De capite Sci. Vitalis MR. Domini MR. De digito Sci. Gregorii MR. Foilani MR. Bonifacii Archyepiscopi & MR. Alexandri, Euentii & Theodoli MRM. Sanctorum Maurorum MRM. Gordiani & Epimachi MRM. Sulpicii & Seruiliani MRM. Sanctos:

*Sanctor: Ewaldorum MRM. Sci. Godehardi epi. & conf. S. Odolphi confessoris. Sca. Esteldrida Virginis.*

Diploma Canuti VI. quo Privilegia Collegii Canoniorum Lundenſium confirmavit Anno MCLXXXVI. ex apographo per Doct. & Procancellarium Bernhardum Oelreich & M. Olavum Baggerum Rectorem Acad: Lundenſis vidimato.

**I**N NOMINE S. SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. Ego Canutus Regis Waldemari Filius *per DEI GRATIAM & dispositionem Regni Danorum Monarchiam tenens, cum sederem in solio, in civitate Lundenſium, quæ est Metropolis Dania, pro disponendis provinciarum negotiis, intellexi & cognovi bonum esse, & Ecclesiasticis utilisatibus necessarium, ad cautelam futurorum, pradia DEO collata & annuales census atque possessiones Regia munificentia donatas a Nostri Antecessoribus, Regia tuitione muniri & munitione tueri: ut nostra quoque confirmatione & testimonio suscipiant firmitatem perpetuam, qua per Reges gloriosos Antecessores Nostros legitimam & irrefragabilem secundum leges Regni susceperunt donationem. Sancta igitur memoria Rex Canutus, cujus Venerandis reliquiis Feonensis Ecclesia, immo totius Regni Danorum decoratur amplitudo. In civitate prædicta, DEO & sancto MARTYRI LAVRENTIO Monasterium instituit, pradia & possessiones donavit, donata Regali Authoritate roboravit, Rex donans præposituram & novem sacerdotales Præbendas cum Scholarum beneficio instituit. Item de annuali censu ejusdem civitatis, qui ex antiqua consuetudine pro arcibus dari solet XXVII. marcas in dotem & de-*  
*spon-*

~~Sanctae Ecclesiae~~ commemorata singulis annis perdonatus, & in die dedicationis coram multis & memorandis sessibus Episcopis & Presbyteris illius temporis Ducibus, Stabulariis & multis Nobilibus diversa aetatis ac ordinis ratum esse, DEO Praeside aeternaliter stabilitus. Præterea de omnibus terris, quas DEO & GLORIOSO MARTYRI LAURENTIO dedit, omnem justitiam Regiam Fratribus inibi pro tempore famulantibus perpetim annuit. Ita ut in potestate sit Praepositus, ceterorumque fratrum quicquid causa emergerit, tribus dumtaxat exceptis, h. e. Si quis Colanorum extra pacem positus fuerit, pacem a Rege redimat, substantiam ejus Praepositus & Fratres Equos rhedarios non dent, nisi quum Rex ipse venerit: Nos itaque in reddenda DEO gratiarum actione, ejusque Genetrici Maria intemerata Virgini, quorum gratia & meritis nos etiam Thronum Patrum meorum conscendisse credimus & confitemur, has omnes donationes & causarum proventus, sicut sanctus ille instituit atque ordinavit, rata & incorrupta permanere decernimus, atque Regia auctoritate solidamus. Juxta hunc quoque Privilegiorum tenorem qua vel Reges Praecessores nostri vel Pontifices, seu alii boni & fideles Viri, pro sui suorumve felici memoria condiderunt, & aliquas terras ad praedictum locum dederunt, in Nostram suscipimus protectionem, ut sicut jam dictum est, omnis Regia justitia, qua ex causis diversis provenire solet, illis tamen qua dicta sunt exceptis, Praeposito & Canonicis attineat. Hac ut rata sint Sigillo nostro chartam hanc signavimus. Ad honorem REGIS Regum, qui vivit & gloriatur DEVS benedictus in secula seculorum. Amen.

Si quis praepotens Nobilis vel ignobilis natus vel non natus hanc constitutionem vel immutare vel violare, seu funditus in irritum revocare attentaverit, sit de sorte eorum, qui di-

*dixerunt Domino DEO. recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, sit de parte Dathan & Abiron, sit truci incendio deputatus ubi ab aquis nivium transitur ad calorem nivium.*

*Actum Landis Anno Dominice Incarnationis MC-LXXXVI. Indictione IV. Gloriosissimi Danorum Monarche Canuti Anno III. Absalonis Lundensis Archiepiscopi tertij; Archiepiscopatus Anno VII, Domina Regina Danorum Gertrud consentiente cum illustri Duce Wadlemaræ Regis Fratre & Absalone Archiepiscopo, stabulariis collaudantibus, quorum hæc sunt nomina; GUNNI, STRANGI, ROGINCER, EBBI. Presbyteris Capellanis, HOMERO, DUCCONE, NICOLAO.*

( L. S. )  
( Pendentis. )

### Emendanda.

**Page** 21. lin: 10. in notis, adde ad notam 26. m. 582.  
 pag: 27. lin: 23. lege *Trugothi filio*. p. 43. lin: 18. lege *sinistra globum*, pag: 44. lege *sinistra habenas*, *dextra falconem*. p. 64. lin: 20. lege *Jærestad*. alia, sicubi occurrerint errata, benevole corrigat H. Lector.



*MONSIEUR*  
*Et très cher Frere*

**R**ien n'est de plus ordinaire, que de faire des félicitations à ceux qui donent des preuves de leurs études Académiques: & parmi ces personnes qui par une noble émulation se disputent, comme à l'envie, l'honneur de meriter à juste titre, les lauriers du Parnasse, il n'y a rien de plus extraordinaire, que d'en voir un, qui se distingue, par dessus quantité d'autres, d'une façon bien marquée. C'est cependant, Monsieur, ce que Vous faites; Vous montrés au Public les progrès, dans ces matieres Historiques, dignes de la recherche des Grands Hommes, qu'un heureux génie peut faire, quand il est guidé par un Maître aussi Excellent que le Vôtre. Voila mon sentiment; & moi comme un ami sincere, je vous en félicite de tout mon cœur, & suis avec une estime la plus parfaite,

*Monsieur Et très cher Frere*

Votre très humble  
& très obéissant serviteur

**CHARLES E. SCHREIBER**





Q. D. B. U.

I.



Alter probationum Historica-  
rum fons est RES NUMIS-  
MATICA, seu exacta cogni-  
tio monetarum Numorum-  
que. Qui cum non minus  
memoriam rerum prisca-  
rum, quam monumenta La-  
pidaria conservent, nec nisi his solis antiqui-  
tate & durabilitate cedant; jure suo, secun-  
dum, in ordine fundamentorum Historico-  
rum, locum sibi vindicare videntur.

Auctores, qui rei numismatice institutiones tradi-  
derunt, imprimis commendandi sunt. Das geschnes-  
te Münz-Cabinet im III Torno des geschneten Ritters-  
plages. Item *Joh. Gröningii I. U. D. Historia Numis-*  
A matico

*matico-critica* oder Neueröffnete Historie der Modern-Medaillen ibidem. *Aug. Frid. Zanthier* Kurze Einleitung zu den Vier Vornehmsten Quellen der Historie. His addi possunt: *Andreae Morelli Specimen universae rei monetariae antiquae*; & *P. Chrysostomi Hantbaler exercitationes faciles de numis Veterum*; nec non *I. C. Olearii Münz-Wissenschaft*. Notitiam vero ple-  
rorumque Scriptorum rei monetariae suppeditat *Fr. Ern. Bruckmanni Bibliotheca numismatica*, nec non *Phil. Labbe Bibliotheca numaria*.

## II.

**P**er rem Numismaticam intelligimus quaslibet monetas, numos & numismata, sed imprimis illa, quæ in memoriam illustris aliqujus personæ, aut rei præclaræ auctoritate publica sunt cusa & signata. Etenim negari non potest, in omni historia, ex accuratiori numismatum notitia, ingens lumen & emolumentum oriri, ac permultas quoque alias disciplinas luculenter ex eadem illustrari posse.

Præter auctores jam I. §. indicatos, de utilitate rei numismaticæ in genere egerunt: *Ezechiel Spanheimius in Diss. de usu & præstantia numismatum*; *P. Jouberti Notitia rei Numariæ* & *P. Ludovicus Debiel in compendio de Utilitate rei numariæ*. In specie rei Numismaticæ usum in Theologia & historia Ecclesiastica asserunt *V. E. Deseberus in Tr. de numorum*

*morum Veterum in Theologia, & explicatione S. Scripturæ, ac antiquitatum Ecclesiasticarum usu; Idem de rei numariæ in sacris antiquitatibus usu; nec non ejusdem in historia Ecclesiastica usu. Corn. Dit. Koch de re numaria Vet. & N. T. ejusdemque Dissertatio de Anno Natali I. C. per numum & facta Antipæ Herodumque caterorum demonstrato &c. &c. Rei numismaticæ usum in Chronologia, Geographia, Genealogia, Heraldica, Mythologia, Historia Naturali aliisque Disciplinis præter citatos auctores Job. Gröningium & A. F. Zanthier, probant Harduini Chronologia ex numis restituta, Ejusdemque numi antiqui Populorum & Urbium; Voyage de Levant par G. Wheler; Holstenii commentarius in Stephani Byzantini fragmenta de urbibus; Golzii numi Græciæ ejusque insularum & Asiæ minoris. Vlyss. Aldrovandi Ornithologia; Speneri sylloge Genealogico-Historica & ejusdem opus Heraldicum; Bebelii Theologia Gentilium è numis eruta; Ludovici de Hemmer Tenediorum Respublica, & Γλαυκογραφία; N. E. Zobelius de Cacozelia Gentium & alii quam plurimi, quorum nomina, brevitatis causâ, silentio præterire liceat.*

### III.

**P**artes numismaticis notandæ sunt: *Facies, recta & aversa, Inscriptio seu Epigraphe, Lemma seu Legenda, Exergum seu Basis, atque extrema-Ora seu Margo.*

*Facies recta* ( Gallis La Tête, L'avvers dicta ) exhibet plerumque effigiem Principis, Herois aut ali-

us præclari Viri cujusdam vel Heroinæ; interdum tantum siglam Regiam aut aliam; de siglis vero imprimis consulendus *Job. Nicolai de siglis veterum*; nonnunquam etiam Divi aut Martyris alicujus v. gr. B. V. M. vel S. Ladislai imaginem in Hungaricis, S. Erici in Svehicis, S. Canuti in Danicis quibusdam ante Religionis reformationem; denique *recta* in quibusdam numis Regni aut Civitatis alicujus insignibus; imo etiam aliis rebus, uti plenius usus docebit, nonnunquam exornatur. Effigies vero illa, quæ repræsentatur, Principis alicujus, cui numisma dicatum est, vel *sinistra* est vel *dextra*; hæc vitam, actionem auctoritatemque significat; illa defectum quendam in Republica, ob Principis absentiam, mortem aut minoremnitatem; observandum tamen est, hanc regulam sæpius negligi, quam observari. Deinde quoque ornamenta capitum, quibus ejusmodi effigies redimitæ exhibentur notanda: Coronæ nimirum variæ ex. gr. *Radiata*, *Turrita*, quæ etiam *muralis* dicitur, *Rostrata* (a qua quidam distinguunt *Napalem*) *Civica*, *Triumphalis*, *Obsidionalis*, *Caßrensis* &c. Nec non diademata alia varia, ad quæ etiam referimus *Cornua arietina*, *Pelles Leoninas*, *Caprinas*, *Elephantinas*, *Nimbos*, *Cassides*, *Petasos* & quæcunque alia, de quibus omnibus consulendi, præter jam supra indicatos de re numaria Scriptores, *Dempsterus de Antiquitatibus Romanis Lib. X. Cap. XX. VI. & seqq.* *Niemport de Ritibus antiq. Rom. p. m. 492.* Nec non *Job. Nicolai de Nimbis antiquorum* &c.

*Aversæ* faciei typus figuris diversissimis & perbrevis hoc compendio haud describendis exornari solet. Pauca hæc tantum exempli causa adnotamus; ne nihil profus

in hac re dixisse videamur. Palma itaque cum figura muliebri *Judeam*; Cuniculus *Hispaniam*; Camelus *Arabiam*; figura muliebris dextra lanceam, Sinistra Afini caput hasta sublatum tenens *Daciam*; Equus aut Auriga cum flagello *Macedoniam*; Equus etiam *Mauritaniam*, Caput vero Equi *Carthaginem*; Noctua *Athenas*; Serpens nimbo ornatus, Crocodilus, Sistrum, Hippopotamus, Ibis, Canopus, Anubis, vel Nilus *Ægyptum*; Figura ex tribus cruribus totidemque spicis triticeis circa faciem hominis in medio constitutam, Trisceles dicta *Siciliam*; Figura Muliebris pelle elephantina cum dentibus & proboscide circumdata *Africam*; Virgo tauro insidens *Europam*; Figuræ duæ muliebres dextras porrigentes & in invicem implicantes *Concordiam* & fœdus inter duas Civitates; Mulier stolata dextra herbam crescentem tenens, sinistra vel spicas quasdam demittens, vel vestem paululum sublevans ac suspensis gradibus incedens *Spem*; Mulier sinistra cornu copię, dextra baculum seu sceptrum, quo orbem sive globum dirigit *Providentiam*; Mulier dextra gubernaculum, sinistra cornu copię gerens *Fortunam*; Figura Virilis decumbens cum amphora *Fluvium*; sin vero appositam habeat rotam, *viam* publicam denotat. Verum brevitatis causa innumera fere ejusmodi cum in antiquis tum in recentioribus occurrentia hieroglyphica silentio præterire eogor. Nec alias res historicas, puta prælia, urbium expugnationes, trophæa, ædificia, spectacula, sacra, insignia gentilitia, emblemata &c. commemorare jam vacat. Vocibus *inscriptionis* & *Legende* quidam promiscue utuntur; quidam easdem dictiones distinguunt ita, ut INSCRIPTIONEM vocent titulos Principis; LEMMA seu LEGEN-

**GENDAM** ingeniosam paucisq; verbis conceptam  
aversæ explicationem. *Basis* sēd *Exergum* est par-  
vum in infima numi parte spatium, chorda à reli-  
quo distinctum, supplendæ Legendæ ut pluri-  
mum inserviens. Tandem *extrema* numi *ora* ideo  
solum heic observanda, quod illa quoque interdum  
arguta quadam sententia exornetur.

#### IV.

**R**atione materiæ considerandos sese nobis  
offerunt numi *Aurei*, *Argentei*, *Electrei*, *Æ-*  
*rei*, *Plumbei*, *Stannei*, *Ferrei*, *Pelliculati*, *Vitrei*, *Scor-*  
*tei*, *Papyraci* &c.

De aureis, argenteis æreisque numis nihil addere  
lubet, cum supervacaneum certe foret illorum exis-  
tentiam probare velle; saltem annotasse sufficiat.  
Apud Romanos *æream* monetam aut ab ipso Jano  
Secundum *Macrobiū Saturn. Lib. I. cap. VII.* aut  
a Servio Tullio, sexto Romanorum Rege, primam  
signatam fuisse, uti auctor est *Plinius H. N. lib. 33*  
*cap. 3.* ubi etiam perhibet quinque annis ante pri-  
mum bellum Punicum *Argenteam*, *Auream* demum  
annis LXII. post, primum percussam. *Electre-*  
*os* numos tandem introduxit Imperator Ale-  
xander Severus, uti testatur *Ælius Lampridius*  
nam ante hæc tempora omnes aurei ex obryzo  
constabant. An nostrates antiquissimis tempori-  
bus propria moneta *aurea* usi sint, incertum; ma-  
gnam auri vim piraticis deprædationibus artibusque  
bellicis concessisse & Gryphium instar cumulasse, satis  
certum. Orbes v. aureos Scanicos quos apud Vejos  
Sca-

Scanorum inventos descripsit *Joh. Schefferus Tract. de tribus O. A.* nec non quos depictos sistit *M. R. D. Jacobæi*, aut ornamenta olim fuisse, aut amuleta, quam numos usuales verisimilius videtur. Quin etiã medio ævo aureos numos domi percussos, aut rarissimos aut fere nullos; ac exoticos tantum in usu fuisse aliquo. Neque *ære signato* istis temporibus cives nostri in commerciis suis utebantur, sed maxime numulis *argenteis*, quos denarios dicebant. Licet enim negari non possit, nonnunquam reperiri quosdam vilissimi metalli ac fere æreos, itemque alios *suberatos*; certissimum tamen est, pro melioribus & argenteis illos substitutos venditatosque fuisse: hinc orta etiam distinctio inter numos veteres ac novos, quod hi illis longe viliores essent. *Plumbæ* monetæ mentionem facit *Plautus*: cui, *si capitis res sit, nummum numquam credam plumbeum*, in *Trin. Numismata* etiam ex hoc metallo nonnulla producant curiosi vid. *Geoff. Metes Mus. Cabinet pag. 35.* De moneta plumbea, Celibibus hodiernum, usualem agit *Joh. Sig. Wurfham Ost Indianische Krig- und ober-Kauffmans Dienste p. 17.* à Dionysio Tyranno Syraculano *stanneos* numos cufos fuisse ex Aristotele prodit libellus, cui titulus: *Das geöffnete Münz Cabinet l. c.* ubi etiam testatur tales adhuc in Anglia non infrequentes esse. De orbe stanneo vel potius numo Antinoi adulterino legi potest *Jani Ruggerli Epistola.* *Ferreos* numos habuisse veteres Britannos, Clazomenios, Lacedæmonios ac Byzantinos veterum testimoniis comprobat *G. M. Cabinet l. c.* Russos vero *ferrea moneta stanno nitente* imposuisse colonis nostratibus narrat *Olaus Magnus Hist. de Gent. Septentr. lib. VI. c. 12.* *Pelliculatos* numos vocamus illos ferreos æreosve, qui tenui lamella seu pellicula nobilioris metalli sunt obdu-

cti,

cti, alias *forrati* (Gallis medailles fourrées) barbari dicti, quasi duplicati; nam forratam vestem dixerunt medio ævo duplicatam, sub panni cujusdam velamine interius subductas pelles tegentem. vid. *Testamentum Absolonis Archiep. Lund. notis Cl. Sperlingii illustrat. p. 114.* Hos, ratione habita metalli vilioris sub cortice latentis, quidam *Subferratos* aut *Suberatos* alii quoq; *Incrustatos* dicunt; Verum ultimo nomine forte rectius distinguuntur quædam numismata Regum Principumque opere encaustico artificiose parata. *Vitreos* numos in Sicilia reperi-  
tos esse ex *Vormio* probat *Zanthier libri citati pag. 79.* *Scorteis* nostrates olim usos fuisse numis, quorum valor argenteis punctis indicaretur, narrat *Olaus Magnus Hist. Sept. l. 6. c. 12.* penes quem fides sit; nos tales nondum vidimus. Memorabilem historiam de ejusmodi moneta coriacea refert *Joh. Hübnerus Historische fragen 3 theil p. 586.* speciatim de his tractat *Casparus Læscherus disp. de Nummo Scorteo.* Ex libro mori arboris monetam apud Tartaros confici memoriæ prodit *M. Paulus Venerus Lib. II. cap. 21* *Papyraceas* pecuniæ tesseras in casu necessitatis extitisse eo minus negandum, quod ipsi tales nostris manibus non ita pridem tenere potuerimus; miramur vero non aliorum Regnorum Civitatumque, sed tantum Svethiæ chartaceam simul cum ænea necessitatis pecuniam, maligno dente arrodere Medicum Vratislaviensem *I. C. Kundmannum de Num. singul. p. 39. §. seqq.*

**F**iguras numerum respicientes, eosdem in *Rotundos, Oblongos, Truncatos, Serratos, Conturmiatos, Bracteatos* sive *Cavos*, dispescere solent.

*Rotundam* numerum figuram ut omnium vulgarissimam, & omnibus notam, silentio præterire liceat; *Oblongi* minuti olim in Dania & adhuc in Russia, usuales sunt numi; Numismata quoq; oblonga apud Scriptores & in Scriniis curiosorum non admodum rara deprehenduntur. *Truncati* vocantur numi quicunque angulosam habent figuram, sive neglectam, sive exactam & regularem. Sic exempli gratia non modo numos triangulares, quadratos, hexagonos, verum etiam irregularis cujuscunque figuræ, uti sunt Hispanici, vulgo *Stück von Achten* dicti, truncatos vocamus vide sis *E. Brenneri Thes. Num. Sueogothicorum* & *Jacobæi M. R. D. passim*, nec non *Kundmannum de Numis singularibus Tab. IV. fig. 50. Tab. V. fig. 29. Anjati* salutantur illi, qui angula præditi sunt, ope cujus à collo suspendi solebant; Tales erant præter amuleta magica, de quibus legi potest *G. M. C. p. 86*, numi quidam aurei Regum Principumque effigies, symbola aut ordinum equestrium insignia exhibentes, quibus ipsi Reges ac Principes amicos de se aut civitate bene meritos donaverunt; exempla habet *Jacobæi M. R. D. &c. Serrati* dicuntur numi in margine extrema serræ instar dentati, de quibus consulendi *G. Wedelius in Exercit. IX. Dec. VI. de numis serratis.* item *Job. G. Liebknecht de Numis serratis*

*Diff.* His admodum cognati videntur hodie non infrequentes margine externo catenulato, articu- lato aut litterato: cujus ultimi elegans exemplum nobis suppeditat numus argenteus, nostratum usua- lium maximus, qui simul causam quandam hujus artis manifestat; ejusdem enim extrema ora hac gnome insignitur: *manibus ne ledar avaris. Contur- niati*, qui & *Corburniati*, *Coturnati* & *Coturni- ati* nonnunquam dici solent, margine seu limbo e- latiore simul & elegantiore distinguuntur; egit au- tem de iis inprimis *Sigebertus Havercampius diff. de Alexandri numismate & de numis conturniatis. De Cavis & Bracteatis* denique sciendum, quod illi tan- tum tenui lamella sive bractea ab unica parte signa- ta & instar patellæ concava ac margine ut plurimum radiato consent, unde etiam *Scutella* & *Irides* dicti sunt. Horum uberiores notitiam subministrant. *Ott. Sperlingii Dissertatio de Bracteatorum origine & progressu*; *I. C. Olearii Isagoge ad Numophylaci- um Bracteatorum*, Ejusd. *Spicilegium antiquitatis numos XXV. bracteatos suggerens*, item alterum *IX bracteatos exhibens*, item tertium *bracteatos Hal- berstadtenses tradens*, ac alia quoque ejusd. auct. Scripta. *Jo. Pet. Ludwigs Einleitung zu den Teut- schen Münzwesen mittel Zeit &c. Joh. A. Schmidii Fr. de Bracteatis Numb. Cizens: & Pegav. & Joh. Georg. Liebknecht de Bracteatis Hassiacis atque E. Brenneri Thesaurus numorum Suegothibicorum.*

## VI.

**H**abita magnitudinis ratione, distingvimus in

in numos *Primæ*, *Secundæ* & *Tertiæ* magnitudinis, sive *Maximi*, *Medii* & *Minimi* moduli; quæ tamen distinctio præcipue concernit antiquas Græcorum Romanorumque monetās.

Hodie tanta in hac re licentia utuntur diversi populi, ut, certos magnitudinis modos, in cudendis Numismatibus, observatos determinare minime liceat. Schemata quidem magnitudinis Numismatum Jo. Gröningii *Historia Numismatice-Critica* p. 55. & *Museum Regium Danicum* P. II. Sect. V exhibent; sed exempla vidimus & *maximo majora* & *minora minimo*, ut satis constet certis ac communibus legibus nondum sese hodiernos subjecisse artifices numismaticos. Veteres septentrionales majores numos vix habuerunt, sed tantum *minutos denariorum* aut *Sterlingorum* vel etiam *Penningorum*, sit venia verbo, nomine notos; quæ nomina, sine dubio, ab Anglis mutuo sumpserunt Majores, cum & ipsam artem numos cudendi ab iisdem accepisse admodum verisimile videatur; Veritati etiam minus repugnat Sterlingos ab Esterlingis (sic enim dictos fuisse Anglosaxones testantur auctores fide dignissimi) potius quam à sturnis avibus, quarum icones in quibusdam denariis Anglicis inveniri autumant, nomen accepisse. *Majores* tandem ineunte Seculo XVI. nummi, quos latinitate barbara *grossos*, Germani vero *Dicte Pfennige* dixerunt, cum apud nostrates, tum apud Vicinos Danos cudi cœperunt. Conf. *Brenneri Thes. N. S. G.* p. 43. tab. IX. No. I. & Ol. *Jacobæi M. R. D.*

VII.

**N**umos, uti ipsas historias, ad ævum antiquum, medium & novum referre convenit; unde etiam numerum distinctio non infrequens in *Antiquos*, *Barbaros* seu *Gothicos* & *Modernos* seu *Hodiernos* enata videtur.

*Antiquum* ævum à primo tempore, quo monetæ cudi cœperunt, initium capit & extenditur ad ejusdem artis & rei numariæ decrementum & in deterius prolapsum; *Medium* hinc ordimur, finitus vero in ipsa litterarum artiumque restauratione, adeoque etiam rei monetariæ melioris restitutione, quæ cum principio seculi XVI. & *novi Ævi*, quod ad nostra usque tempora se porrigit, auspiciis, contingere cœpit, ut sensim non tantum pristinum splendorem antiqui ævi recuperaverit, sed ad summum quoque perfectionis fastigium jam magis magisque adscenderit ars Numismatica, ut jam dudum difficile sit dictu, an hodiernæ artis gloria, antiqua illa ullo modo sit inferior, nisi antiquitatis stupida admiratio rationem captivam abducatur, aut præjudiciorum lolio inebrietur, visumque obnubilet. Præterea etiam heic observandum, quod cum Itali omne quod ipsis rude, neglectum, incultum, inconditumque visum fuit, barbarum ac Gothicum, dicere consueverint, inde quoque numi medii ævi cujuscunque gentis rudiori arte parati generali nomine *Gothici* appellari scœperint eundemque titulum etiam nunc apud Antiquarios retineant.

VIII.

VIII.

**Q**uod si ætatem simul & numi ipsius & personæ in eodem repræsentatæ perpendamus & comparemus, necesse habemus eosdem considerare, prout nimirum sunt vel *Coarvi* vel postliminio *Restituti*.

*Coarvos* seu coætaneos numos dicimus illos, qui illo Principe, cujus effigiem & nomen præferunt, vivo & superstite, vel saltem mox post ejusdem obitum percussi sunt; *Restitutos* vero sive redonatos salutare liceat, quos demum longo post tempore, posteritas ad Deorum, Heroum, Philosophorum, Poëtarum, Oratorum aliorumque virorum, nec non illustrium fœminarum memoriam renovandam cudere fecit. Inter Romanos permulta ejusmodi restitutorum exempla occurrunt, neque nobis propria desunt. Inprimis vero huc referre licebit elegans & cõmemoratione dignum numisma tale majus argenteum duarum unciarum pondere ab Artifice Clarissimo *A. Karlsten* affabre elaboratum, cujus altera faciès Regis barbati effigiem paludatam exhibet cum inscriptione: JOHANNES III. D. G. REX SVECIÆ. Altera vero coronam Regiam addito Lemate: INJUSTI CARCERIS JUSTUM PRÆMIUM. Hujus census etiam sunt numi ærei minores satis magno numero cusi, & quantum quidem mihi adhuc innotuit nondum ab aliquo descripti, quorum nonnullos, qui mihi artificis ingenium præ ceteris prædicare videntur, exem-

exempli causa heic subnectere non ingratum fore  
B. L. confido.

**I. Effigies Regis cum inscriptione: GUSTAVUS D.  
G. REX. SVE.**

*Sagittæ duæ decussatim positæ, quarum tres angulos inferiores occupant tres coronæ minores; quartum corona major regia cum Lemmate; ARMIS HIS PATEFACTA VIA.*

**II. *Recta* eadem.**

*Aversa* repræsentat figuram muliebrem, corona murali ornatam, dextra globum cum Phœnice, sinistra cornucopiæ tenentem & cippo quadrato tribus coronis insignito insidentem, adscripto Lemmate: **FELIX TEMPORUM REPARATIO.**

**III. Effigies Regis cum inscriptione: ERICUS XIV. D.  
G. REX. SVE. *Aversa* repræsentat Neptunum Conchæ marinæ insidentem, dextra tridentem, sinistra habenas, quibus equos suos dirigit, tenentem cum hac Legenda: PONTUM JUBET ESSE QUIETUM.**

**IV. *Recta* eadem, quæ proxime præcedentis.**

*Aversa* mensam rotundam, in qua positus cernitur gladius diffractus, exhibet cum tali gnome: **RIGORE SUO DISSILUIT NIMIO.**

**V. Effigies Regis cum inscriptione: JOHANNES III.  
D. G. REX. SVE.**

*Aversa* aram, cui imposita est corona, radiis cœlitus delabentibus illuminata, his adscriptis verbis refert: **PROVIDENTE DEO IMPROVISA OBTIGIT.**

VI. Effigies regis adscripto nomine & titulo: SIGISMUND D. G. REX. SVE.

*Aversa* clypeum insignibus Regni Poloniae & magni Ducatus Lithuaniae ornatum habet, addita Legenda: HOC TECTUS NUDATUR AVITO.

VII. Effigies laureati, cui adscriptum est: CAROLUS IX. D. G. REX. SVE.

*Aversa* sistit aram, in qua apertus jacet liber, quem e nubibus defendit strictus ensis cum epigraphe: LEGES DEFENDERE NOSTRUM.

VIII. *Recta* eadem.

*Aversam* figura muliebri stolata stans, columnae innixa, dextra librum apertum porrigens, & circa caput nimbo ornata, conspicuam reddit, addita hac explicatione: AUGUSTANA CONFESSIONE PLANE FUNDATA.

IX. Effigies Regis, cui adscriptum est: GUST. ADOLPH. D. G. REX SVECIAE.

In *Aversa* Litterae G. & C. implicatae cum intermedio Mercurii caduceo, addita epigraphe: INTER SE AMPLEXANTUR, in basi: POSITIS IRIS A. 1613.

X. *Recta* similis praecedenti.

In altera repraesentatur columna, coronam Regiam sustinens, cujus pars superior fulmine percussa ruit, & circa illam tale Lemma legitur: CADENS OBSTANTI DAT CASUM. In basi vero: AD LUTZENAM DIE 6 NOV. 1632.

XI. Effigies Viraginis pectore tenus, addita inscriptione: CHRISTINA REGINA.

*Aversa* duo cornuacopiae implicata, Mercurii Cadu-

duceum amplectentia & simul geminatam litteram C utriusque Nominis Regii initialem referentia cum Lemmate exhibet. INTER CHRISTINAM & CHRISTIANUM; & in basi: BROMSEBROÆ A. 1645.

**XII. *Recta* eadem.**

*Aversa* typus: Pallas galeata sedens, dextra Victoriolam, sinistra hastam tenens, pone quam conspicitur Labarum, tribus coronis insigne, cum epigraphe: MATRI CASTRORUM.

**XIII. *Recta* similis proxime præcedentibus.**

*Aversa* bicipitem Parnassum cum Pegaso, ex altero ejus fastigio profliente, exhibet, cum Lemmate: SEDES HÆC SOLIO POTIOR.

**XIV. Effigies Regis cum inscriptione: CAROL. GUST. D. G. REX SVEC.**

Altera ensen humi jacentem repræsentat, adscripta epigraphe: QUIESCO. DOQUE QUIETEM. infra 1660.

**XV. Effigies Reginae Viduæ addito nomine & titulo: HEDEW. ELEON. D. G. REG. SVEC.**

*Aversa* typum efformat triplex Littera C. inscriptis numeris X. XI. XII. ita implicata & innexa, ut trifolium inde compareat. Epigraphe talis: HOC FELIX TRIFOLIO.

Sunt etiam reliqui admodum elegantes, sed cum plures sint, quam ut angustum hoc illos capere queat spatium, quorundam eorum quoque similes descripsit in *Thef. suo Nob. Brenner*, illorum descriptionem alii occasione reservam. Sufficerent itaque hi pauci jam recensiti exempli, immo condimenti gratia; nisi nefas duxissem silentio involvere elegantissi-

gantissimum numisma, quod in memoriam fundatæ hujus Musarum sedis Heros Excellentissimus illustrissimus Comes, Dn. CAROLUS GYLLENBORG Regni Senator, & magnæ Cancellariæ Præses, tunc temporis nostræ, nunc Upsaliensis Universitatis Patronus & Cancellarius magnificentissimus ab artifice Nobilissimo Dno. C. G. v. Hedlinger confici procuravit.

Hujus *Recta* Caroli XI effigiem exhibet cum inscriptione : CAROLUS XI. D. G. REX SVECIÆ.

*Aversa* repræsentat Minervam armatam stantem, qualis scilicet e Jovis cerebro profiliit, cum Lemmate: TANTO PERDIGNA PARENTE, & infra in basi: ACAD. LUND. 1668.

### VIII.

**N**umi ratione artificii & modi conficiendi distinguuntur in *Fusos* & *Cusos*.

*Fusos* à *Cusis* discernere licet eo, quod hi illis sint adcuratioris & artificii exactioris; nam in *fusis* vix non semper conspicuæ sunt quædam foveæ vel striæ à modulo seu forma ex argilla, arena subtiliori (form-sand) vel gypso parata residuæ. Præterea etiam hujus cæsus numi non raro se produnt literis imperfectioribus & pene deformibus, nec non imaginum, quæ in iisdem repræsentantur depravatis lineamentis. Sunt equidem plerique eorum fusione ad prototypos cusos effecti; sed tamen non negandum, dari quosdam hujus generis protypos & qui nunquam percussi occurrunt.

X.

**E**x usu numorum diverso, illos distingvere  
 liceat in *Usuales* (Gångbart mynt) quibus ad-  
 jungimus Numos *necessitatis* (Myntetecken, Fly-  
 gande mynt) *Memoriales* (Skådepåningar, Me-  
 dailles) *Calculatorios* (Räknepåningar Jettons),  
*Lusorios*, *Carvillatorios*, *Ominosos*, *Magicos* (Ta-  
 lisman) &c.

*Usuales* dicimus vulgares illos quotidiano usui &  
 necessariis in vita comuni commerciis exercendis in-  
 servientes; quo etiam referimus illos, qui ideo  
*necessitatis numi* vocantur, quod publica indigentia  
 urgente & casu necessitatis, publica auctoritate, in locū  
 monetæ ordinariæ melioris substituuntur, & nulla fe-  
 re habita ratione pretii materiæ, præscripto valore,  
 pro vera & genuina pecunia valere & accipi jubean-  
 tur; tales fuere, quæ nondum e nostra exciderunt Me-  
 moria, *Tessera ærea seculi ferrei*, de quibus & aliis  
 agit *Kandmannus in tract. de Num. Siugul. pag. 39.*  
 & seqq; de nostratibus autem adcuratius *Ericus*  
*Tbomus de moneta ærea in Suetbiarotunda §. X. III.* qui  
 etiam X alias tesseræ numarias in obsidione Han-  
 novienſi A. MDCXXXIV culas describit §. XVII.  
 Hisce nunc alios duos nondum, quod scio, descri-  
 ptos, quos meum scriniolum servat, apponere lice-  
 at. Alter argenteus, parum supra dimidiam drach-  
 mam pendens, in *recta* fulmen trifidum infra cru-  
 cem, cum hac inscriptione: STRALSUND ostentat;  
 in

**Arctissimo Heroi, iterum jam Praefidi Comitiorum Salutis Patriae** amantissimo, cupidissimo, ex intimis cordis visceribus Adoreas, Laureas & Monumenta perennia voveo. Illud insigne reddit simulacrum Herois cataphraeti & paludati, facie sinistra, capillitio insigni promisso cum inscriptione: *Aloysius Ferdinandus Com. Marsilius*. Altera facies urbem Bononiam, quam sol suis undique sparsis radiis illuminat fovetq;, adscripto Lemmate: NIHIL SIBI, infra in basi: BONON. SCIENT. ACAD. SOCIO ET MOECENATI OPT. AN. MDCCXXXI. Huic imitatores e magnatibus nostris generosissimos, in Almam Matrem Carolinam Mœcenates beneficentissimos opto voveoque!

Interdum usuales memorialium vices sustinent; sic Germania non adeo rara & infrequentia numorum usualium memorialibus ob signaturam accensendorum exempla tum ex majoribus ac uncialibus, cum ex minoribus subministrat. vid. *Neueröffnete Groschen Cabinet* in 8:vo *Sammlung von Reichsthalern* in 4:to. Ex nostratibus duo exempla satis recentia succurrunt; numus nimirum uncialis argenteus, vulgo Thalerus Imperialis, cujus *rectam* effigies exornat Regia cum titulo: FRIDERICUS D. G. REX SVECIÆ. Subtus: AN. JUBIL. 1721. *Aversa* exhibet binas effigies Regias circellis suis inclusas & circumdatis Lauri palmæque foliis decoratas, quarum altera hac notatur epigraphe: GUSTAVUS I. D. G. REX SVECIÆ; altera vero tali: GUST. ADOLPH. D. G. REX. SVEC. in Basi: IN MEMOR. VINDICATÆ LIBERT. AC RELIG. Deinde aureus, vulgo ducatus, cujus *recta* iterum effigiem Regis cum solita inscriptione exhibet; *aversam* conspicuam reddunt insignia Regni Sveciæ, corona regis Lauriq; ramis

mis ornata & juxta eadem æra 1738. pone quæ ad dextrum oriens conspicitur sol. Locum Lemmatis occupat symbolum: IN DEO SPES MEA. Satis vero evidens est. Hunc numum indigitare aurum illud ex ultima oriente auspiciis Regis Regnique Svethiæ, institutis feliciter commerciis, allatū esse. *Calculatorii* sive tessera (Gallis Jettons) sic dicuntur, quod calculationibus arithmeticsq; operationibus, olim quam nunc usu frequentioribus inservirent; nunc etiam chartis aut alea ludentibus pecuniæ ordinariæ vices suppleant. Alias cum persæpe Augustorum aliorumque præclarorum uirorum effigies, res gestas, breves biographias, Symbola &c. nec non ingeniosa emblemata, Hieroglyphica, ædificia publica, aliasque fere innumeras res memorabiles, exhibeant, utique e censu numerorum memorialium non sunt expungendi; quamvis enim moduli sint minoris aut mediocris, vilioris etiam sæpissime metalli, ac operis denique depressioris minusque elati; tamen non raro tam ob artificium egregium, quam rerum, quas exhibent memorabilium typos non tantum perpulcre ornant, sed etiam admodum collectiones numerorum in subsidium historici studii factas juvant & suppleant. De his agit pluribus Das Geheime Münz Cabinet p. 83. Exempla huc pertinentia ex nostris jam supra aliquot retulimus §. VII. alia ad finem hujus sectionis subnectemus. His quoque accensendæ sunt *Tesserae metallicæ Salbergenses & Falunenses* (vulgo Polleter) quos delineatos exhibent P. Wollenii *Argentifodinae & urbis Salanae descriptio*, atque E. Thunii dissertatio *de moneta aerea rotunda*. Ad horum classem vix non referendi sunt, quos *luforios* ideo diximus, quod ejusmodi numis ingeniose inventis & ad  
anti-

antiquitatis indolem mire confectis alios ludant artifices; arque inprimis antiquitatis studiosis crucem figant. Talis erat illē Travani, cujus *rectam* exornabat effigies Christinæ Reginæ; *aversam* Phoenix in nido ardente adversus solem, supra quem legitur vox. ΜΑΚΕΛΩΣ; infra in basi 1665. Hujus commatis quoque, qui nuper prodiit, cujus *recta* caput viri nudum sine inscriptione aliqua exhibet, quod quidam effigiem Nobilissimi cælatoris esse dicunt; *aversa* Noctuam, omnia Palladis insignia ostentantem repræsentat, addito Lemmate: ΛΑΤΟΜ, qua voce vernacula elementis Græcanicis scripta; legitime, modice, mediocriter significante autorem voluisse docere sapientiam consistere in probitate seu Legum observantia, in temperantia & in Virtutis omnis, quæ uti veteres docuere, in medio consistit, exercitatione. *Cavillatorii* non absque re dicendi, qui mordacibus cavillis principes aut respublicas inimicas proscindunt; hosce in censum memorialium ut plurimum venire, negari non potest; num vero ad documenta genuina historica pertineant maxime dubitandum. Talem esse, quem Tab. VIII. N. 10. exhibet M. R. D. O. J. Nec ab hac classe expunctum velim alterum in Germania forte cuseum hoc Lemmate satis notum: SIC MONSTRA PEL-  
LERE REGNO. Ad *calculatorios* forte melius referatur ille, cujus *recta* Pontificis Romani effigiem refert, quæ tamen inversa horrendam diaboli Larvam exhibet cum epigraphe: *Ecclesia perversa tenet faciem Diaboli*; *Aversa* repræsentat Caput Cardinalis, quod idem inversum est morionis, addito Lemmate: *Stulti mali ovando de sapientibus.* vid. Numophyl: Ludov. P. II. p. 507. *Ominosi* seu fatidici vocantur, qui errore aliquo in signa-  
tura

tura commisso rei alicujus infelicem exitum portendere nonnullis curiosis visi sunt. De talibus egit *Kundmannus* in *Tractatu de Numis singularibus*; nec non *Seyler von Wahrsagenden Dingen*.

*Magici* numi sunt, qui vel ab impostoribus vel superstitiosis hominibus parantur variisque figuris magicis astrologicisque ac litteris variis vocibusque barbaris, quid Hebraici nunquam non sonantibus, signantur, ad fallendos superstitiosos harum rerum cultores. Dicuntur alias: *Abraxæ*, *Talisman* &c. Exempla vide in *Numophylac. Ludov. P. II. 484. F. W. Jacobs Sammlung merkwürdiger Thaler und Medaillen p. 347. & Geöffnetes Münz Cabinet p. 189.* in specie de his egit *D. V. E. Lœscherus* in *disquisitione de Talismanibus*.

## XI.

**P**opulorum Regnorumq; diversitas & multitudo, multa & varia quoque numorum genera produxerunt; curiosi itaq; sese contemplandos offerre solent numi *Hebraei, Punici, Arabici, Persici, Indici, Sinici, Græci, Romani, Gothici, Hispanici, Gallici, Britannici, Belgici, Germanici, Danici, Sæthici, Runic, &c.*

**Numi Runici** supposititij, quorum mentionem facit Antiquarius celeberrimus Nic. Keder in scripto, cui titulus: *Runa in Numis vetustis diu quæsitæ tandemque feliciter inventæ*. Et quos tanquam historica documenta in partes suas citarunt P. Salanus in dissertatione sub Præsidio B. M. Prof. P. Pægethøf habita *de veris & antiquis Gentis Gothicæ sedibus*; Et Joh. Gust. Hallman in disp. *de præcipuis veterum Sveogothorum virtutibus, sub Præsidio Beati Prof. Joh. Hermanßon Upsaliæ defensa*.

Fig. 1.
















Fig. 2.






*Tab. I.*



1.



2.



3.



4.

